DISSERTATIO MEDICA,
INAUGURALIS,
DE
PARALYSI.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

TREVORUS JONES,

CAMBRO-BRITANNUS,

Societ. Reg. Med. Edin. Sod.

Ad diem 24. Junii, hora locoque solitis.

EDINBURGI:
Apud BALFOUR et SMELLIE,
Academiae Typographos.

M,DCC,LXXX.

DISSERTATIO MEDICA,

INAUGURALIS,

DE

PARALYSI.

CHARACTEREM hujus morbi ſequentem a Culleno illuſtriſſimo in claſſe Neuroſium, et ordine Comatum, traditum, adhibere decrevimus, eum cuilibet alii jure anteponendum ducentes. "Motus voluntarii nonnulli tantum imminuti, ſaepe cum ſopore *." Aliorum noſologorum definitiones ſilentio ex toto praeteribimus. Si quis eas velit videre, opera eorum adeat.

Hippocrates hunc morbum *Paralyſin* tantum appellavit; alii vero auctores, pro natura affectus vel parte corporis laborante,

 alia

* Synopſ. Noſol. Method. tom. 2. p. 192. edit. 1780.

alia ei nomina indiderunt, velut Αναισθησιαν cum ſenſus, et *Paralyſin* cum motus, ſenſu integro vel extincto, perditur; *Paraplegiam* vel *Paraplexiam*, cum partes univerſas infra cervicem invadit. Quantum vero hujus vocabuli ſenſum ſpectat, auctores inter ſe differunt. 'Eſt ſumma,' inquit Sauvageſius celebris, 'debilitas ſenſus et motus, vel alterutrius in dimidio corporis tranſverſim ſumpti, vulgo extremorum inferiorum cum enureſi continua, anaphrodiſia,' &c. 'Omnium eſt,' inquit Vogelius, 'partium ſub collo, aut ſaltem medii corporis, artuumque inferiorum, paralyſis.' 'Sopor eſt,' ut Linnaeus memoriae tradit, 'conſtans partium ſub thorace.' 'Eſt,' ut ait Sagarus, 'paralyſis artuum inferiorum, vel omnium artuum cum enureſi, anaphrodiſia, quandoque et anaeſtheſia, ac maraſmo.' Characterem Vogelianum reliquis, cum exemplum utrumque ſatis deſignet, anteponendum ducimus. Alia nomina, quae ſpecies morbi a ſe invicem diſtinguunt, ſunt *Hemiplegia* et *Para-*

lyſis

lysis localis. Reliqua nomina, quae paralysi partium singularium soleant indi, ut longiora et nullius momenti, omittimus.

PHÆNOMENA MORBI.

Prima, quae se ostendunt, signa referemus, quae, quanquam sensus vel motus non prorsus aboleatur, partem tamen morbi constituere existimari possunt. Quantum ad curationem attinet, hoc non parum profuturum esse speramus.

Qui affectus primum notatur, is est aliquorum motuum a voluntate pendentium instabilitas. Si alterum latus tentetur, motus brachii pedisque ejus lateris instabiles sunt, et minus facile, quam alterius proprii, regi possunt. Recta antrorsum ambulare nequit aegrotus, sed latus affectum versus frequenter vergit, quamvis hoc vitare diligenter conatur. Manus ei tremit, nulloque motu accurate fungi valet. Exemplum hujus

hujus luculentiſſimum in viro generoſo vidi, qui, licet globulis eburneis ludendi fuerit peritiſſimus, pilam modice diſtantem dextra percutere non potuit, quanquam ſiniſtra inſueta hoc facile praeſtitit.

Haec nonnunquam in aliquot menſes gradatim increſcere pergunt. Alia deinde paralyſis appropinquantis ſigna evidentiora ſe oſtendunt, qualia ſunt memoria tarda et verba enunciandi difficultas. Ægrotum brevi invadit paroxyſmus apoplecticus, vel torpor univerſus, et alia ſigna poſtea dicenda.

Signa ſupra comprehenſa notandi occaſio nobis rarius ſubminiſtratur; ſed aegrotum de vertigine et capitis gravitate, ſtupore, et oblivione querentem offendimus. Has notas aliquando praecedit apoplexia. Pronus breve amittitur certae partis, alterius plerumque lateris, motus. Senſum frigoris in latere vel parte laborante, aliquando tremorem et dolorem, saepius vero magnum torporem, qui nonnullis in exemplis ab initio uſque adfuit, et ponderis ſenſum

ſum queritur. Pulſus arteriarum ſub initium ſaepe frequentes et inaequales, et nonnullis in caſibus celeres et duri; plerumque tamen molles et tardi. Sitis interdum ſubeſt. Alvus fere ſemper dura. Corpus plerumque aridum, et ſudor, cum movetur, ſemper viſcidus, praeſertim in parte laborante, quae eodem tempore ſigna contractionis manifeſta habet, dum latus integrum ſpaſmis afficitur *.

Non raro rapide titubanterque loquitur, praeſertim ſi morbus ſit hemiplegia, adeo ut ea, quae enunciet, nequeant intelligi. Pleraeque faciei partes, praeſertim os diſtorquetur.

Cum morbus lenis eſt, aegrotus levatur, et nonnunquam, quanquam rarius, ex eo emergit. Caeterum plerumque pertinacior eſt, et, quanquam eo laborans aliqua ex parte levari poteſt, alteri tamen paroxyſmo priore graviori objicitur, et morbus continuus evadit, nulla arte tollendus, immo morte ſaepe finitur.

In

* Hoffman. tom. 3. de reſolutione nervorum.

In exemplis vero maxime communibus, morbus ſub initium magis fixus eſt, et, prout progreditur, ſtupor, pallor, torpor, &c. increſcunt, et paucis in caſibus ſenſus ex toto aboletur. Interdum, cum ſenſus partis imperfectus manet, quaſi punctiunculae lenes, repentes, una cum vellicationibus modicis convulſivis, ſubſunt. Dolores acuti nonnullos corripiunt; quod tamen rarum eſſe opinamur *. Nonnunquam muſculi flexores magnopere contrahuntur et rigeſcunt, ut demonſtrant digiti tanta violentia, ut ungues volam penetrent, contracti. Aliquando tamen, ſenſu magis abolito, ſolida ſimplicia flaccida ſunt, et in omnibus exemplis tactui frigida tabeſcunt. In ſtadio ultimo tumor oedematoſus accedit. Ictus arteriarum, praeſertim partis affectae, hoc tempore admodum molles.

Morbo etiam hunc in modum progrediente, aegrotus nonnihil levatur, et uſum partium laborantium imperfectum ſibi acquirit,

* Senac, de la ſtructure du coeur, tom. 2.

quirit. Sermo intellectu facilior evadit, et partes faciei diversae minus distorquentur. Memoria judiciumque aliqua ex parte redeunt. Hoc in statu multos annos interdum vivit aegrotus.

CAUSA PROXIMA.

Pauca prius physiologica et pathologica, quam hanc exponere, quod quidem in primis difficile, aggredimur, de systemate nervoso tradenda curabimus.

Systema nervosum sensus et motus organum est *, et omnes oeconomiae animalis functiones

* Cum veritate hujus, quod asseruimus, pugnare videntur sequentia, animalia, quibus cerebra morbida, valetudine, uti videtur, commoda fruentia, classis animalium infima cerebro destituta; exempla quaedam foetuum † monstrosorum, capite cerebrove carentium, qui aliquandiu a partu vixerunt. Caeterum experimenta a Galeno ‡, et illustrissimo Monroio §, in ranas, &c. instituta, rem ita se habere clare demonstrant.

† Memoires de l'Acad. des Sciences, 1720.

‡ De Motu Musculorum.

§ Praelect.

functiones ab eo pendent. Omnes impressiones ad eam ejus partem, quae cerebrum appellatur, ante devehantur necesse est, quam ullam earum notionem, aut etiam notitiam, habere possumus. Utrum vero impressiones ad cerebrum universum, vel certam ejus partem tantum, hoc modo devehantur, nondum compertum habetur. Haec autem impressiones sentiendi potestas in cerebro subest, et inde in omnes corporis partes diffunditur. Cum sui generis sit, et animalibus vivis propria, eam in posterum Vim Nervosam appellabimus.

Nervi e substantia cerebri medullari conflantur; sed fibras evidentius ostendunt, quae pia matre separatim involutae sibi invicem, donec partem, cui destinentur, attingant, parallelae procurrunt. Inter progrediendum tamen, nonnunquam dividuntur, ramos dimittunt, vel per ganglia transeunt; quibus in exemplis, si fibras partis cujusque divisae excipias, parallelae esse cessant. Cum ad musculum, cui destinantur, accedunt, in fibras

fibras * admodum exiguas innumeras dividuntur.

Ex obſervationibus † Monroii illuſtriſſimi accuratiſſimis diſcimus, has modum in pulcherrimum eſſe convolutas, et maximam muſculi partem conflare videri.

Si nervus ſub originem, vel in qualibet alia ſui decurſus parte, comprimatur, vis nervoſa non amplius per eum, donec cauſa tollatur comprimens, tranſit. Si preſſura adeo diu, ut textura ejus deleatur, fuerit admota, in poſterum ex toto perditur. An hoc filamentis nervi parallelis in eodem arcto contactu, quem fecit preſſura, manentibus referendum?

Si nervi ſtructura quolibet modo mutetur, idem incidit.

B Pro

* Una harum, ut ſubduxerunt nonnulli, partem capilli communis $\frac{1}{3240}$ non excedit.

† Praelect. Hae obſervationes microſcopio, quod ſibi objecta circiter centies et ſexageſies magnitudine vera majora reddidit, factae.

Pro affectibus cerebri diverfis, vis ipfa nervofa diverfe affici poteft. Ita aliam magis, quam aliam, partem ftatus ejus fingularis excitare, et igitur exempla delirii diverfa facere, valet.

Proximum eft ut morbum ipfum confideremus. Eum pro affectu et fenfus et motus habuerunt medici. Uterque faepe, quanquam nulla neceffitate, conjungitur, et a fimilibus et iifdem caufis non raro pendet. Jactura motus, fenfu integro, fubeffe, et motus, fenfu amiffo, integer effe poteft *. Paralyfis, fenfu fuperftite, abfoluta effe poteft, cum plerique medici, et character, quem adhibendum putavimus, per vocabulum *paralyfis* motus mufculorum voluntati parentium jacturam tantum fignificent. Hinc jacturam cum motus tum fenfus in eodem incidentem prorfus fortuitam effe apparet, quamvis Gaubius fagax id quod fequitur memoriae tradit: "Exquifita di- "citur," nempe paralyfis, "fi fenfus una "cum

* Ill. Culleni Praelect. de Pathologia.

" cum motu deeſt: Sin ſupereſt, imper-
" fecta *."

Senſum et motum amiſſum ſeparatim conſiderare non alienum foret. Incepto vero hujuſmodi abſiſtendum, cum, ob ſyſtema nervoſum parum intellectum, ea, quae motus tantum in alio exemplo, et ſenſus tantum in alio, jacturam faciant, difficillime, immo forſitan minime, comperire poſſimus. Et hunc et illum amiſſum actioni cauſarum remotarum potentiori tribuendum ducimus. Motum igitur amiſſum tantum, et paucis, exequemur, cum cauſas univerſas debilitatis, et hujus gradus diverſos, plenius inveſtigare nos ab incepto longius traheret.

A cauſis paralyſis conſiderandis incipiemus. Hae, Gaubio judice, ad tria capita redeunt: ' Debetur multiplici vitio: 1. Ce-
' rebri, cerebelli, medullae oblongatae, ſpi-
' nalis, nervorumque inde porrectorum in
' truncis, gangliis, ramulis ſuis; quo fit,
' ut vis nervea torpeat, deficiat, aut, ſublato
' iſtarum

* Gaub. Pathol. §. 752.

'istarum partium cum fibris motricibus 'commercio, intercipiatur: 2. Systematis 'circulationis, quo influxus humorum vi- 'talium in organa motus imminuitur, suf- 'flaminatur: 3. Villorum denique muscu- 'larium labi propriae, distractione, pressio- 'ne, diuturna quiete, intensiore actione, 'relaxatione, siccatione, texturae alienatio- 'ne, inductae, qua ad motum inhabiles 'redduntur *.'

Utrum hic Gaubius vitia systematis multiplicia esse asserere necne velit, statui nequit. Duo vero neminem, qui medicinam facit, latere debent, unum a virtute motrici extincta vel collapsu †, alterum a compressione, vel talibus cerebri affectibus organicis, quales exercitationem potestatis nervosae,

* Gaub. Patholog. § 753.

† Cullenus celeberrimus hoc vocabulum non aliquid explicandi, sed statum rerum minime dubitandarum certum significandi, tantum consilio adhibet ‡. Idem omnino hac in dissertatione significabit.

‡ Physiolog. §. 130.

ſae, vel ſtatum cerebri excitatum, impediunt, pendens.

Quomodo Boerhaavius et Gaubius vitium circuitus ſanguinei pro cauſa paralyſis habeant, non intelligimus; deliquium enim animi prius oritur, deinde ſtatus paralyſis, qui non loco proprius eſt, ſed univerſas ſyſtematis fibras muſculares invadit. Utrum hic ſine illo unquam necne moveatur, nondum compertum. Hoc nunquam quidem incidere opinor. Nonnulli aortam vinctam paralyſin artuum inferiorum facere ponunt. Qua ratione vero hoc agat, utrum muſculos an medullam ſpinalem afficiat, ſtatuere poſſumus? Sanguinem igitur nihil aliud, quantum ad ſyſtema nervoſum attinet, praeſtare, quam id ſanum et integrum gradum caloris et tenſionis ei idoneum comparando, ſervare concludimus.

Cum paralyſis operationi aneuriſmi arteriae brachialis cauſa inſtitutae ſuccedit, fluxus ſanguinis in brachium impeditus paralyſin facere fuit exiſtimatus. Caeterum,

in

in duobus hoc genus exemplis *, aegroti motum ſenſumque brachiorum recupera-runt, et, cadaveribus annos poſt triginta in-ciſis, nervos una cum arteriis fuiſſe ligatos, et muneribus fungendi per duos nodos, ganglia referentes, ad partem ubi vinctae fuerunt formatos, poteſtatem ſibi adeptos repertum.

Inſuper, in exemplis, ubi paralyſis ab ar-teriis vinctis proficiſcitur, morbus poſt ali-quantum temporis tantum et ſemper tarde accedit. Tenſio et calor primum imminu-untur, et, brevi poſtquam paralyſis invaſit, brachium gangraena corripitur. Hinc co-gimus ſanguinem nihil aliud quam calo-rem muſculi et tenſionem ſervare.

Vitia fibrarum muſcularium pro cauſis paralyſis forſitan non debent haberi. Mul-ta eorum tamen nimia tenſione, &c. muſ-culum, poteſtatem ei inſitam forſitan per-dendo, adeo debilitant, ut eum, in quem vis animalis agat, parum aptum efficiant.

Cullenus

* Molinelli comment. academ. Bonon. t. 2. p. 2.

Cullenus * quoque celeberrimus caufas paralyfis ad tria capita reduxit: 1. Ad ftatum collapfus in cerebro, ftatui fomni non abfimilem. 2. Ad has caufas, quae commercium originem nervorum inter et mufculos corporis diverfos interpellant. 3. Ad caufas jacturae poteftatis fibris mufcularibus ipfis infitae diverfas.

Phaenomena et pathologia jam tradita, natura caufarum remotarum fedans, effectus ftimulantium in curatione adhibitorum manifefti, et experimenta in ranas aliaque animalia inftituta, plane demonftrare videntur, defectum poteftatis nervofae vel ab eo ejus ftatu, qui collapfus vocatur, vel a motu ejus a cerebro ad partem laborantem impedito pendentem, pro caufa hujufce morbi effe habendum.

De hac modo fequente loquitur Gaubius illuftris. ' Horum fingula feorfim, aut ' plura fimul, five ipfam extinguant virtutem ' motricem, five conditiones faltem tollant, ' fine

* Vid. Patholog.

'fine quibus illa in motus consentaneos excitari nequeat, utroque modo paralysin fieri necesse est *.'

Boerhaavius vero inquit, 'Causa hujus proxima † semper impeditus fluor liquidi nervosi a cerebro in musculum paralyticum vel liquidi arteriosi in eundem.' Opinionem autem Boerhaavianam posteriorem, ob causas supra positas, repudiamus.

Causam proximam executi, rationem signorum hic redderemus, nisi haec e pathologia, causisque remotis mox tradendis, satis intellectum iri putaremus.

CAUSÆ REMOTÆ.

Causae paralysis remotae sunt eae, quae homines morbo opportunos efficiunt, quaeque eundem excitant, et ab apoplexiae propriis non differunt, gradu tantum minores.

Quanquam

* Patholog. sect. 753.
† Aphorism. 1058.

Quanquam omnis aetas paralyſi patet, eos, qui circiter annos ſexaginta habent, frequentius invadit. Qui ad morbum proclives ſunt, in iis ſigna ſequentia ſe oſtendunt: Caput amplum, cervix brevis, pinguedo, habituſque plenus; quibus adjici poſſunt vita iners, ſedentaria, luxurioſa, ebrioſitas, multus ſomnus, vigiliae longae et frequentes, ſtudium immodicum, et omnia denique quae ſyſtema nervoſum debilitant.

Frequentius tempeſtate admodum frigida et humida *, quam calida et ſicca, incidit. Hinc autumnus, hyems, et initium veris ei, quam alia anni tempora, magis favere putantur. Hippocrates † una hyeme paralyſin adeo ſaepe offendit, ut eam epidemice graſſari putaverit. Caelius Aurelianus ‡ aliique ſcriptores tempeſtatibus ſupra poſitis eam circumſcripſerunt.

Cauſae excitantes duas ad claſſes redeunt. *Prior* ea, quae vim cerebri imminuunt, eamque ejus conditionem, quam *col-*

 lapſum

* Celſ. lib. 2. cap. 1. Huxh. de aëre et morbis epidemicis, an. 1730, 33, 34, 35, 37. † Epidem. 1. chart. tom. 9. ‡ Lib. 2. cap. 1.

lapſum appellavimus, faciunt; *poſterior* ea, quae poteſtatem nervoſam per nervos devehi impediunt, comprehendit.

Quae collapſum faciunt, ea vel directe vel indirecte, ſi ita loqui liceat, agunt. Cauſae directe agentes ſunt ea, quae mobilitatem vel actionem ſyſtematis nervoſi diminuunt, quaeque magis liberaliter applicata eam ex toto extinguunt. Hoc in exemplo, effectu nullo prius edito, mors ſaepe infertur. Poteſtates hujuſmodi ſedantia vocantur.

Sedantibus potentiſſimis adnumerandum eſt frigus intenſum, quod, ſi diu applicetur, poteſtatem nervoſam omnino perdit, mortemque facit, ut, hyeme frigidiſſima, ſaepe videmus. Multa exempla, ubi certo loco admotum paralyſin parti intulit, unumque nuperrimum, habemus. Mulier, loco honeſto nata, quae ante biennium aut circiter maritum ad Americam belli, quod ibi nunc geritur, cauſa euntem comitata eſt, Novi Eboraci, gelu intenſiſſimo, peperit. Paucis

a

a partu diebus aliquamdiu dormivit, altera manuum ſtragulis non operta, quae ei experrectae ſenſu motuque carebat et adhuc paralyſi laborat. Nonnullos, propterea quod ſaxo frigido inſederant, ſphincteris ani et veſicae paralyſi ſubito correptos fuiſſe, refert Galenus. Multa quoque alia ſunt, quae eodem valent.

Frigus, ſi humori adjungatur, potentius agere reperitur. Hoc exhalationi humiditatis e corpore calorem ejus imminuenti referendum eſſe experimenta probant *.

Qui affectus animum contriſtant, velut terror, metus ſubitus, et moeſtitia, ii omnes collapſum potenter inducunt, immo mortem nonnunquam faciunt. Hoffmannus, De Haen, et Schenkius multa hoc genus exempla memoriae tradiderunt.

Aër mephiticus, qui olim *gas ſylveſtre* fuit appellatus, experientia teſte, vim cerebri imminuit, et e natura ejus expoſita omnibus animalibus, quae ſpiritum trahunt, eum

* Vide Phyſical and Literary Eſſays, vol. 2. art. 7. pag. 145.

eum ex aequo nocere novimus. Si quis eum inſpiret, et non protinus in aërem purum removeatur, repente extingui conſuevit. Spelunca aut Grotto del Cane in Italia hoc fluido adeo abundat, ut canes et omnia alia animalia humiliora, cum primum eam ingrediuntur, quod corpora eorum hoc in fluidum immerguntur, vita priventur. Homo, contra, et alia animalia magis procera, in eam impune longius progredi poſſunt, quod aër mephiticus, atmoſphaerico gravior aeque celeriter, ac marginem ſuperat, effluit, ſe undique diffundens, non tamen eo altius ſeſe attollens.

Fermentationem ſubeuntia et ardentia magnas hujus fluidi quantitates praebent. Quinetiam venenum e pulmonibus animalium excernitur, quod aëre atmoſphaerico diſſolvitur, uti e corpore expellatur. Unde aër purus in pulmones ſemel receptus, dotes, aëris mephitici proprias reddentes, ſibi adipiſcitur*. Cum vero aër communis certam

* Praelect. celeb. Black de Chemia.

certam tantum veneni quantitatem poſſit diſſolvere, novum illius ſupplementum omnino neceſſarium. Quod ſi deeſt, venenum ea quantitate, ut exitio ſit, accumulatur.

Stupor, coma, et apoplexia, quae hoc fluidum tam ſaepe movet, id, mobilitatem ſyſtematis nervoſi perdendo, agere demonſtrant. Cum animalia, quae apoplectica vel paralytica eo fuerint reddita, facilitate ſolita ſpirare pergant, id in ſenſorium commune, et non in bronchia cellulaſque pulmonum, ut auctoribus placuit nonnullis, agere concludere licet. Non deſunt quidem medici hodierni, qui hoc fluidum, in pulmones inhalatum, in auxilium phthiſis pulmonalis promptum eſſe contendunt.

Fumi ſulphuris ardentis, plumbi, mercurii, arſenici, antimonii, &c. eandem naturam habere, in nervos olfactorios agere, vimque nervoſam, ſtatum collapſus inducendo, extinguere videntur. Qui in his metallis effodiendis, fundendis, &c. occupantur, potiſſimum inauratores, ii in primis

mis apoplexiae et paralysi objiciuntur. Plumbum acidis corrosum potestatem nervosam potenter imminuit.

Venena narcotica vim nervosam non minus efficaciter perdunt, quam causae modo comprehensae. Praecipua autem illorum sunt, opium, cicuta, belladona, hyoscyamus, mandragora, nicotiana, solanum, stramonium, laurus, et alochol. Cum actio omnium horum fere eadem sit, de opio solo fuse dicemus.

Hoc vim stimulantem an directe sedantem habeat, nondum compertum esse videtur. Vis imaginandi vegeta et hilaritas, quae opium liberaliter adhibitum nonnunquam excipiunt, potestatem ei inesse stimulantem indicant. Gravis stupor, contra, somnolentia, insensilitas, frigus, et debilitas, quae signis supra positis brevi succedunt, et praesertim quod ad mortem usque increscunt, potestatem sedantem ei non deesse, clare evidenterque testantur.

Venena narcotica paralysin movere, multa documenta, praesertim in experimentis

mentis virorum admodum celebrium Monroii et Whyttii, habemus. Haec quidem corporis extrema, vel quamlibet aliam infra eam, cui admota fuerunt, partem saepius affici ostendunt.

Si sedantia modo agendi suo differunt, hoc tantum plus minusve potestatis stimulantis, antequam sedans incipit apparere, ostendendo praestant. Ita alcohol magis, quam opium, stimulare existimari potest; sed omnem systematis nervosi actionem aeque potenter extinguit. Exemplum hoc genus in homine, qui nihil aqua fortius bibere assuetus est, insigne vidi. Hominem, quo cum amicitia ei intercessit, forte offendit, et cum eo, spatio quindecim minutorum circiter octo novemve, liquoris spirituosi e saccharo extracti uncias potavit. In eum subito invaserunt gravis stupor, insensibilitas, ad somnum proclivitas, stertor, &c. quae ad vesperem diei secundi cum fato concessit, increverunt.

Celsus, et auctores quoque recentiores, venerem immodicam pro causa paralysis habent.

habent. In eandem ſententiam concedit Tiſſotus, qui maſtuprationem morbum facere opinatur.

Alia paralyſis cauſa, ſi obſervationibus auctorum fides habenda, eſt materia, quae vel extrinſecus in corpus invehi, et eadem eſſe ac contagio ſpecifica in morbo venereo, exanthematis, &c. vel in corpore ipſo, ut in arthritide et ſcrophula, generari poteſt. Inſuper, materia hujuſmodi in gangraena et ſphacelo pro certo progeneratur, et ex ulceribus mali moris vel cancris abſorberi poteſt. In multis ex his exemplis materia abſorpta, in ſyſtema nervoſum protinus agendo, ſtatum collapſus videtur inducere.

Cauſae paralyſis indirecte agentes ſunt eae, quae poteſtatis nervoſae excitationem adaugent; quod facit ut cerebrum et ſyſtema nervoſum in ſtatu debilitatis relinquantur, e quo difficulter emergunt. Hae poteſtates nominantur ſtimulantia. Affectus animi excitantes, ut ira et gaudium, et paralyſin et mortem etiam inferre conſuerunt.

runt. Hos prius excitare, deinde collapſum facere, clare teſtantur pulſus arteriarum conſtanter frequentes, rubor faciei, epiſtaxis, quae nonnunquam ſubeſt. Inſuper, ſigna duo poſteriora eos quantitatem ſanguinis inſolitam ad caput mittere, et effuſionem vel rupturam facere poſſe, demonſtrant.

Labor longus, praeſertim violentus, et niſus nimis magni poteſtatem nervoſam excitatione nimia perdere, vel rupturam facere poſſunt.

Aromata ſunt ſtimulantia fortiora, et, liberaliter adhibita, vires ventriculo convellunt, ſtatumque collapſus progignunt.

Quae poteſtatis nervoſae curſum quolibet modo impediunt, ea ad claſſem cauſarum ſecundam relegamus.

E cadaveribus inciſis diſcimus, preſſuram cerebrum afficientem, et motum poteſtatis nervoſae, ex eodem in nervos commerciumve tantum, quod inter partes cerebri diverſas intercedit, et ad functiones ejus exercendas omnino neceſſarium eſt, impedientem paralyſin ſaepe movere. Nulla alia enim

ratione, quomodo preſſura ſtuporem, aliaque magni collapſus ſigna, faciat, vel corpus, preſſura ſublata, ad ſanitatem reducatur, poteſt exponi.

Exempla preſſurae varia ſunt. Externa eſſe poteſt, et a fractura vel parte cranii introrſum preſſa, vel a vertebris luxatis medullam ſpinalem urgentibus, proficiſci. Interna quoque eſt, ab exoſtoſibus vel tumoribus, nimia diſtenſione, ſanguine per rupturam vel anaſtamoſin, quod haemorrhagia cerebri apud Hoffmannum appellatur, vel ſero in ſuperficie cerebri, vel intra ventriculos ejuſdem effuſo, oriens.

PROGNOSIS.

Eventus hujus morbi plerumque infauſtus eſt, ſemper dubius. Si ſtupor, ſomnolentia, inſenſilitas, frigoris ſenſus maneant, et praeſertim ſi multum aetatis aegroto acceſſerit, vel pars paralytica emacietur; vel oedemate

oedemate afficiatur, ſpem ſalutis non multam affulgere, pro certo poſſumus affirmare. Morbum vero, contra, periculo ex toto vacare dicere non audemus, licet aeger juvenis ſit, parſque laborans magnitudine non imminuatur, licet morbus a congeſtione proficiſcatur, nullaque humorum effuſorum ſigna ſubſint, licet ſenſus nulla ex parte amittatur. Quanquam ſanguinis miſſio notas praecipuas ſuſtulerit, et aegrotus morbi immunis aliquamdiu fuerit, exitum tamen felicem fore non fidenter promittendum.

RATIO MEDENDI.

Oeconomia animalis moduſque vitiis ejus occurrendi accurate conſiderata, artem medicam tantum abeſſe, ut perfectionem attigerit, ut, contra, admodum manca ſit, evidenter demonſtrant. Exemplum hujus, proh dolor! nimis luculentum in uxore, qua nihil unquam amabilius excellentiuſve

fuit,

fuit, viri admodum reverendi Roberti Carter Thelwall, mihi in primis amici, ſe nuper oſtendit. Omni felicitate, quae mortalibus ſolet contingere, fruens, ſuos diligens et ab illis, non ſine cauſa graviſſima, miro amore dilecta, alterius capitis lateris dolore correpta eſt. Licet hic nonnihil ſublatus; tantus tamen ſtupor et ſomnolentia eam invaſerunt, ut nec ſtimulantia, nec quodlibet aliud remedium morbum potuerit depellere, quanquam ſigna aliqua ex parte levarunt. Hoc caſu funeſto, multumque ſemper deplorando, et multis quos viderim aliis inductus medicinae impotentiam non execrari non poſſum.

Ad inceptum vero redeamus. Conſilia autem medendi tria ſunt:

I. Morbo, cum ſeminium vel ſigna atoniae ſe oſtendunt, occurrere.

II. Congeſtionem et plenitudinem tollere.

III. Curſum poteſtatis nervoſae liberum reddere.

Quantum

Quantum primum consilium spectat, ei respondent sequentia: A. Causas remotas tollere. B. Tonum et vigorem systematis nervosi sustentare. C. Compressioni occurrere.

A. Cum causae remotae corpori externo applicantur, protinus sunt tollendae. Hoc multis in exemplis morbo occurret.

B. Caeterum, cum morbus a potestatis nervosae defectu pendet, tonum hujus et vigorem sustentare difficilius erit. Hoc tamen forsitan praestabunt: a. Diaeta valens et nutriens. Qui cibus hoc in casu idoneus est, is ad putredinem minime proclivis et parum stimulat. Quanquam diaetae ex toto vegetabili nonnulla objici possunt; e seminibus tamen farinaceis et lacte, utpote quae plurimum nutriant satisque roborent, potissimum conficiatur suadeo. Singulis diebus aliquantum cibi animalis dari potest. Nec adiposum sit, nec quantitate nimium. Caro bubula et ovilla forsitan, utpote quae magis perspirabilis sit, carni anima-

animalium juniorum, avibus piſcibuſve, anteponenda.

Non aegroto uſu vini interdicerem, praeſertim ſi aetate provectus eive inſuetus ſit. Quantitas conſuetudine aegroti regenda. Quod vinum optime convenit, id eſt rubrum Luſitanum, vel Maderenſe, cui ad minimum admiſceatur aequa aquae quantitas. Idem dilutius illi pro potu communi eſſe poteſt. Si vero non multum aetatis aegroto acceſſerit, et vinum vel liquores ſpirituoſos bibere parum inſueverit, melius forſitan foret his ex toto abſtinere, et aliquod diluens mite, quale eſt aqua ſimplex, vel lacti admiſta, vel aliqua herba aromatica, velut meliſſa, imbuta, pro potu communi adhibere.

b. Calor et corporis univerſi, et partis affectae potiſſimum, ſumma cura ſuſtentatus. Hoc praeſtat actionem cordis et arteriarum, praeſertim ſuperficiei propriarum, promovere: α. Diaeta idonea, qualis ſupra fuit comprehenſa. β. Exercitatione ſingulis diebus in tres quatuorve horas adhibita,

quae

quae vel equitare, vel rheda aperta, laminis ferreis elasticis nullis vel brevissimis sustentata, vehere esse potest: γ. Frictione vespere et mane per spatium horae diutiusve adhibenda.

Facilitas, qua cutis nonnullorum inflammatur, et epidermidem amittit, ne frictio verriculo, vel etiam panno laneo fiat, saepe cavet. Huic vero incommodo, ut expertus sum, efficaciter occurrit aliquantum panni lanei corpori arcte circumdatum. Si in loco, cui applicatur, rite figatur, verriculum libere huc illuc moveri potest. Quinetiam partes, quae non verriculo subjacent, a frigore defendit.

Cum balneum frigidum corpori vires conciliet, et actionem vasculorum extremorum potenter moveat subito adhibitum, ad id hoc in exemplo hos effectus edendi consilio confugi potest. Aqua corpori semper affundenda. Temperies ejus ad minimum gradum thermometri Fahrenheiteani quinquagesimum adaequet, et sexagesimum plerumque non excedat. Nonnullis

nullis in caſibus multo calidior eſſe poteſt. Hoc autem memoria ſemper tenendum, non ad lavationem frigidam decurri oportere, niſi aegrotus ea jam inſueverit, niſi ruborem totius corporis ſuperficiei et calorem excitaverit, et corpus vegetum animumque hilarem reddiderit, niſi omnia inflammationis ſigna ſublata fuerint. Si aegrotus, contra, ea nunquam ante fuerit uſus, ſi aquam aliqua ex parte reformidet, ſi affuſionem excipiant pallor ſuperficiei, ſenſus frigoris, rigor, ea, ut remedio periculoſiſſimo, ſemper abſtineatur.

c. Mobilitas ſyſtematis nervoſi conſervata. Ad hanc autem illaeſam ſervandam, conferunt remedia ſupra comprehenſa, et ſequentia diligenter vitata, omnes evacuationes nimis liberales, velut ſanguinis detractio, alvi purgatio, ſudatio, venus nimia, exercitatio violenta, defatigatio, cogitatio ſtudiumve intenſius, affectus animi concitatiores, vigiliae, multus ſomnus.

C. Ut compreſſio hoc in exemplo tantum ea eſſe poteſt, quae ab effuſione vel

haemorrha-

haemorrhagia oritur, ita ei non aliter, quam plenitudinem et congeftionem fugiendo, et omnia quae liberum fanguinis a capite defcenfum impediunt removendo, occurrere poffumus.

Confilio alteri refpondent, miffio fanguinis univerfa locove propria, viribus aegroti temporique morbi accommodata, epifpaftica, alvus modice fufa fervata, regimen antiphlogifticum.

Confilio tertio accommodantur:

A. Curfum quem tenent nervi, quolibet obftaculo liberare. B. Compreffionem cerebri tollere. C. Poteftati nervofae vigorem et mobilitatem reddere.

A. Curfum quem tenent nervi, quolibet obftaculo liberare.---Hoc autem nervus divifus, natura portiunculae mutatus, compreffus effe poteft. Cum vitia duo priora fuam per naturam; quantum noverimus, infanabilia fint, ea filentio fere praetereamus oportet. Hoc tantum notamus, nervo divifo, fi partes non protinus conjungantur, primoque, uti aiunt, confilio fanentur,

tur, poteſtas nervoſa non amplius per eum deſcendere poteſt. Immo nervus ad ſanitatem pro votis reductus raro munia ſua, et nunquam niſi longum poſt tempus, obire valet. Vitio poſteriori medetur cauſa comprimens ſublata, oſſa, ex. gr. luxata et fracta in locum reducta, tumores, cum tuto fieri poteſt, extirpati. Si viam hoc faciendi diſcere velis, chirurgorum opera adeas.

B. Compreſſionem cerebri tollere.---- Cum preſſura a congeſtione et plenitudine proficiſcitur, ſanguis parcius copioſiuſve, pro viribus aegroti, protinus mittendus. Si prima detractio ſigna non ſatis levet, et pulſus arteriarum pleni validique maneant, altera ſanguinis quantitas, ſex octove horis elapſis, vel vena inciſa, vel cucurbitulis cruentis temporibus admotis, mittenda. Tertia ſanguinis detractio admodum caute adhibenda, et loco propria tantum forſitan eſſe debet.

Utrum ſanguinem e collo vel e brachio, in paralyſi depellenda, emittere magis conveniat, ambigo. Caeterum, ut hoc illi ante-

ponam

ponam animus admodum inclinat, nec, incisione ampla facta, commodum minus fore duco. Si vero plus levaminis a vena jugulari, quam a brachii propria incisa, oriri concedatur, nonne fascia illi postea arcte admovenda, sanguinem intra caput nimis coercendo, effectus pravos edet, qui loci discrimine minime possunt pensari? Regimen antiphlogisticum praecipiendum, viribus aegroti et vigori accommodandum. Admodum stricte hoc adhibere raro necessarium evadet.

Epispastica, setacea, fonticuli, utpote quae plenitudinem imminuant, proderunt.

Cathartica, et plenitudinem universam et vasorum capitis propriam tollendo, et intestina etiam, praesertim rectum, a stercore indurato libera servando, quod sanguinem artus inferiores libere adire et inde redire patitur, in morbum non parum poterunt. Magnum sanguinis impetum, stercore indurato aortam descendentem venamque cavam premente, ad caput nonnunquam fieri, testantur faeces durae foras expulsae, non-

nullos

nullos capitis dolores ſubito levantes. Circuitus igitur ſanguinis, in artubus inferioribus nullis obſtaculis objectus, curſum ad caput imminuit, et igitur admodum utilis.

Quae cathartica hoc in morbo cum commodo adhibentur, ea numeroſa ſunt. Caeterum, in conſilium proxime poſitum optime accommodatur aloe. Aliis vero conſiliis melius reſpondent ea, quae evacuationem majorem faciunt, et, ob inteſtinorum inſenſibilitatem, quae in paralyſi invaleſcit, quantitatibus praeter conſuetudinem magnis ſunt aſſumenda. Dari poſſunt, oleum ricini, pulvis jalapii compoſitus, infuſum ſennae, et compluria alia. Cum enemata peſſive retineri poſſunt, ad hos et ad illa confugere ſaepe non alienum erit.

Quinetiam congeſtio curſum humorum ad artus inferiores, per pediluvia et veſtitum pedum calidiorem faciendo, caput truncumque corporis, praeſertim illud, magis quam extrema, elevando, et eodem tempore omnia quae impetum ſanguinis ad caput movent, et plenitudinem augent, vitando,

tando, removeri poteſt. Hinc liquores fermentati et ſpirituoſi, et plerumque, eandem ob rationem, emetica parum idonea.

Cum preſſura a ſanguine ſerove ob plenitudinem effuſo proficiſcitur, eadem remedia, quae in congeſtione, conveniunt. Caeterum, in iis exemplis, ubi effuſio a laxitate exhalantium adaucta oritur, raro vel nunquam idonea. In exemplis hoc genus, ſanguinis detractionem, et purgantia draſtica admodum perniciosa fore, manifeſtum. Epiſpaſtica capiti applicata, et ſetacea cervicis, praecipua remedia eſſe videntur, quae adhiberi poſſunt. His ea remedia adjungas, quae abſorptionem faciunt, qualia ſunt tonica et aſtringentia.

Quaedam compreſſiones ab exoſtoſibus cranii, membranis naturam oſſeam induentibus, tumoribus harum ſubſtantiaeve cerebri, et abſceſſibus ortae, nihil curationis a medicina recipere poſſunt. Igitur aliquid ſuper his in medium proferre ſupervacaneum.

Omnia

Omnia exempla, quae a violentia externa pendent, cum chirurgorum ſint, non noſtrum exequi ducimus.

C. Poteſtati nervoſae vigorem et mobilitatem reddere.---Hoc ſtatum collapſus ſpectat, et forſitan remedia diverſa, prout collapſum fecerunt, cauſae directae vel indirectae, nos praecepturos eſſe expectabitur. Caeterum, omnibus inflammationis ſignis remotis, collapſus in utroque exemplo iiſdem remediis depellendus.

Vigorem poteſtatis nervoſae et mobilitatem reſtituunt cauſae collapſus remotae. Super hac re jam comprehenſis hoc ſolum adjiciendum ſupereſt, omnes morbos, qui collapſum faciunt, prius curari, et materiam quam gignunt, vel unde oriuntur, e corpore expelli, omneſque ejus fontes, ſi fieri poteſt, exſiccari oportere.

Corpus firmant, et igitur nervis vigorem comparant, diaeta nutriens, qualis ſupra fuit comprehenſa, medicamenta tonica, exercitatio, balneum frigidum, quae, ſi caute adhibe-

adhibeantur, ut ſupra monuimus, remedia potentiſſima ſunt, ad quae poteſt decurri.

Quae tonicis reliquis praeſtant, ea ſunt cortex Peruvianus et chalybs: Vel ſimul vel ſeparatim, et aeque liberaliter, ac ventriculus aegroti ferre valet, dari poſſunt. Rubigo chalybis reliquis ex eo praeparatis anteponenda, et magis liberaliter, quam ſolet, ſumi poteſt. Ad ſex drachmas uſque, ſingulis diebus, tuto datam fuiſſe accepi.

Tonica quaedam ſingularia, velut flores zinci, juvare poſſunt. Amicus meus ingenioſiſſimus Dr Joannes Evans, qui Salopiae medicinam facit, in epiſtola, quam ab eo nuper accepi, zincum, ſatis liberaliter datum, in epilepſiam plurimum poſſé refert. A decem florum granis incipit, et doſin, donec aliquot ejus effectus manifeſtos percipiat, adaugere pergit. Vir celebris Dr Home flores zinci, hac hyeme in Noſocomio Regio Edinenſi, ad grana quinquaginta ſeptem uſque, pro doſi dedit. Doſin autem

aeque

aeque largam in paralyſi dare, raro erit neceſſarium.

Amara et aſtringentia conjunctim dantur; ſed non aeque, ac cortex Peruvianus, proſunt. Aſtringentia autem praecipua ſunt alumen et acidum vitriolicum. Effectus tonicorum haud dubie edunt; quantum vero fiduciae in paralyſi in iis ſit collocandum, experientia nondum demonſtravit.

Antiſpaſmodica utilia eſſe poſſunt, cum ſubſultus convulſivi morbum comitantur. Utrum vero in ullo paralyſis exemplo narcotica necne adhiberi poſſint, non parum ambigo. Moſchus haud dubie dari poteſt.

Quo vigor mobilitaſque ſyſtemati nervoſo reſtituantur, calorem, et totius corporis et partis laborantis potiſſimum, omni ratione ſuſtentare conandum. Hoc optime praeſtat circuitum ſanguinis quam maxime liberum efficere.

Equitare, vel tali rheda, qualem ſupra deſcripſimus, vehere, huic conſilio optime accommodatur. Si neutrum horum ferre poſſit

poſſit aegrotus, quodlibet aliud geſtationis genus, quod parum fatigationis comitatur, velut equuleum cubiculo accommodatum, vel quodlibet ſimile, adhibere poteſt.

Remedia ad actionem poteſtatis nervoſae excitandam apta ſunt ſtimulantia. In vim nervoſam inertiam illam, quae adeo conſtanter in paralyſi invaleſcit, tollendo, protinus agant neceſſe eſt.

Cum ſtimulantia interne adhibentur, effectus ſuos in ventriculum edunt, qui inde per nervos in partes ſyſtematis univerſas diffunduntur. Hoc modo agunt ſequentia, piper, zinziber, ſinapi, cochlearia, raphanus ruſticanus. His adjungi poſſunt alkali volatile et balſama. Haec omnia vim nervoſam adaugent. Quo modo agant, nondum compertum.

Stimulantibus externe applicandis adnumerandus eſt calor. Quatenus ſub forma ignis poſſit adhiberi ignoro. Caeterum, commoda, quae inde poſſunt oriri, parva, pericula multa eſſe videntur. Vim nervo-

ſam ſemper debilitat diu admotus. Electricitas vero omni hujuſmodi conſilio reſpondet, et ſtimulans longe potentiſſimum eſt quod corpori humano applicari poteſt. In totum ſyſtema eodem tempore, vel in partem laborantem ſolam, pro lubitu adhibentis, aget. Vis ſuccuſſuum vero limitibus admodum anguſtis circumſcribitur. Si terrorem aegrotanti incutiant, ſub initium admodum leves eſſe, et poſtea, prout occaſio poſtulat, augeri debent. Scintillae e parte laborante extractae non aeque ac ſuccuſſus proſunt. Vir celeberrimus Joannes Robiſon, philoſophiae naturalis in Academia Edinenſi Profeſſor, ut electricitas ſuccuſſuum parvulorum ſerie adhibeatur, et per membrum paralyticum dirigatur, hortatur. Hoc globulum partem digiti centeſimam, aut circiter, a globulo phialae proprio ſigendo, ſilumque ferreum, ſi ita loqui liceat, illum inter et ſummam membri laborantis partem interponendo, fieri poteſt. Communicatione autem pedem inter et exterius phialae tegumentum, per alterum ſilum

lum ferreum facta, fluidum electricum non citius quantitate idonea colligetur, quam ex uno filo devehente in alterum, tunicamque phialae exteriorem tranſibit.

Utra vero ratione electricitatem adhibebis, vigorem et mobilitatem poteſtatis nervoſae multum adauget, cor firmat, et circuitum igitur ſanguinis celeriorem reddit. Hoc clare exponit, cur partes paralyticae per electricitatem magis plenae et obeſae efficiantur. Cum paralyſis a collapſu pendet, omnis forſitan fiducia noſtra in electricitate collocanda.

In pleriſque exemplis, haec remedia univerſa circuitum ſanguinis in parte laborante non ſatis promovent. Igitur electricitatem ſub forma ſcintillarum, frictionem, epiſpaſtica, et rubefacientia parti affectae applicare, eandemque exercitare, omnino neceſſarium eſt. Nihil hic notandum ſupereſt, niſi quod exercitatio, quam hoc in loco volumus, machina a Buzaglo Londinenſi inventa, peragitur, quae adeo formatur, ut membrum aegri laborans vel quaelibet pars

abſque

abſque reliquis poſſit exerceri. Structura autem hujus machinae omnes, praeter auctorem, adhuc latet.

Cauſis omnibus denique, quae ea, quae conſiliis prioribus reſpondent, adhiberi prohibent, diligenter occurratur. Si huic conſilio ſatisfacere velis, omnes cauſas, quae vires corpori convellunt, velut pravam cibi concoctionem, alvumque aſtrictam, curioſe fugias. Hanc laxantibus, oleo ricini vel aloe, ſolutam teneas. Calorem corporis debitum id panno laneo involvendo, nihilque lineum proxime cutem gerendo, conſerves. Omnes animi affectus concitatiores ſtudioſe vites. Laetitiam, contra, modicam gaudiumque quaeras.

F I N I S.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

FRAMBOESIA.

PROOEMIUM.

MORBOS inter plurimos, quibus corpus humanum obnoxium, illa orbis terrarum in regione, quae Zona Torrida nominatur, hujusque in parte speciatim, quae India Occidentalis vocata, pauci, memorandi, aut medicorum cura, quam Framboesia, digniores sunt.—— Propter et frequentiam, utpote quo servorum nigrorum, his in partibus, plurimi tam saepissime afflicti destructique sunt; propter et severitatem solitam, hicce morbus studia nostra in se convertere debet. Tamen nobis hae solae non

caufae fuerunt de Framboefia fcribendi, at porro, quia perpauci auctores eam tractavere; et ex medicorum nimia negligentia illis in locis, eam medicandi cura, vetulis nigris plerumque traditur, quae, ad medicamenta fpecifica in hunc plurimos alios inter morbos, pretenfiones habent. Eheu! quam deplorandum eft, tot victimas his fpecificis falfis cecidiffe!

Ob eas caufas inter caeteras, hoc de morbo in hac differtatiuncula inaugurali differere decrevi.

DEFINITIO MORBI.

" Lepra albida eft, quae in exteriori-
" bus fit cutis; et aliquamdiu quibuf-
" dam fine aliis eft membris; nonnun-
" quam vero in toto fit corpore, interdum
" ut totius fit corporis color albus.—
" Quae, in membris, fi ex mala fit frigi-
" da complexione, haec funt figna; quum
" membrum in quo eft, album eft co-

" lore, itidemque ejus pili; et ſi cutis " phlebotomo vel acu pungitur, ſanguis " ab eo non egreditur, ſed humiditas " alba *."

HISTORIA.

Hic morbus Arabiae et Africae inter incolas ortus eſſe videtur; et illinc primum nigris occidentem verſus, ad inſulas Atlantico in Oceano ſparſas tranſvectus fuit, quibus locis nunc pervulgatus eſt.

Plerumque exortus primus, papulis parvulis circa inguina, partes generationis, axillam aut vultum et prope ſaepe anum, annunciatur. Primo, hae aciculae minimae haud capite grandiores, percipi poſſunt. Dies quatuor vix fuerunt praeterita, quum ſe ſupra cutem plane oſtendant: inflammatione, quae ſemper antecedit, occulta, retis mucoſi nigrum propter infecti colorem. Illo ab tem-

* Halliabbae Mag. Perſic. lib. viii. cap. xvi.

pore, quo videri puſtulae, uſque ad maturationem, poſſunt, novem aut diebus undecim non amplius eſt; et tunc alborem inducit cuticula, frangitque diſtringit, ichori ſeu ſaniei humorem vice puris perpetuò effundens. Dein formam ſuam puſtulae mutantque albeſcunt, ab imo fungus nacitur ruber fragulo ſimillimus. Partes circa affectas capillae omnes ſimul cum cute albeſcere quoque coeperunt, morbuſque nunc contagioſus eſſe fit. Quotidie papulae magnitudine augent. Quoniam, diverſis in temperamentis ac habitibus multum variare, quo tempore ad ſummum incertum eſt perveniunt, ſaepe obſervatum eſt. Inter nigros qui minime viribus fracti, Framboeſiam multo citius ad criſin ſeu altitudinem proventuram, quam inter quos infirmos eſſe, a priore cognoſcendum ſit. His nonnunquam equales frago ſylveſtri puſtulae menſe primo apparent: at; quibus, victis ex vegetabilibus aut aliter, robore infirmis et aſthenicis, faciem lau-

claudabilem non prius inducunt, quam bimestrisve trimestris actus est. Notandi fortasse dignum sit; quod, quum pustulae sint majores, pauciores sunt, et e contra, minores quum plures.

Omnibus hoc sub morbo laborantibus, quos mihi visere contingit, quo tempore, sub J. L. Blizard et Ashton Warner insula in Antiguensi, chirurgi artis medicae scientiae suae celeberrimi, studerem, semper manifestam corporisque virium diminutionem evenire, percepi. Fateor Hillarii industriosissimi testimonium meam contra opinionem hac de re obstare; et fortasse, tam, aetate et majoris, observatione extensioris hominis sententiam me fecisse audaciter oppugnare, nonnulli putent. Attamen, res, ut se habeant, aut mihi saltem, quam aliis appareant, narrare malo. Framboesiae servos nigros, rarius, donec deficere vires, et corpora sua tabescere coeperint, quae, ex pensis suis, magistri plerumque intelligunt, succumbere observavi. Si mensis

unius ſpatio, morbus, adhibendis haud remediis, permanſerit, de dolore ejus in oſſibus aeger ſaepe queretur, ulceroſae fiunt papulae et tactui paulatim doloriſſimae. Regimine commodo commodiſque medicamentis maturate adhibitis, ejus terminatio celeris ac fauſta erit. Exareſcentes tumores ſcabies habent, quae decidunt. Hoc ex morbo neglecto, finis, ut ſupradiximus, variuſque incertus; ulcera interdum phagedenica, quae nodos, exoſtoſes, in oſſibus cariem, morbum quoque, qui, ab Hillario, nominatur Arabum lepra, nigrorum in lingua Cucaba, producuntur. Vere haec mala aegris ſupervenire, incauto ex regimine atque vetularum nutricium iniquo ab uſu, videre ſaepiſſime poſſimus.

Quandoque circa pedum partes inferioris et calces tumores duri ac doloroſi oriuntur, qui, Tubboes lingua Affrica vocantur; hi, propter cutis duritiem atque craſſitudinem, lentius matureſcunt, ſed, nonnunquam ejicientes ſerum aut pus

tenuiſſimum, remediis nequicquam applicatis, per affectorum vitam manent. Hic quoque Framboeſiae magiſtrum, ut dictus eſt, memorare neceſſe ſit; haec puſtula major caeteris eſt, quae, aliquamdiu, poſtquam aliae evaneſcunt, permanet. Situs ejus varius, nunc inguinibus, nunc axillis et diverſis in locis.

DIAGNOSIS.

Symptomatibus ex ſupra memoratis, medicis nihil timendum eſt, ne hoc de morbo deciperentur. Morbus, quo, qui nunquam hunc antequam aſpexerunt, falli poſſunt, eſt ſyphilis. Sed ab puſtularum viſu primo totum in corpus, et praeſertim circa generationis partes, ſyphiliticis ab ulceribus perfacile Framboeſia dignocitur. Puſtulae ſuper penis glandem ſyphiliticae primum oriri ſolent: at circa inguina, axillas aut faciem papulae morbi hujus primum ſeſe oſtendunt; praeterea, illius tumores cum cute

prope aequales, hujus tamen cute mox enaſcentes ſe praebent. Framboeſiae puſtulae, tam magnae quam tumores aut ulcera venerea, qui in inguinibus naſcuntur, raro fiunt. Quod Framboeſia, frigida aut temperata in regione, notandum ſit quoque, vix ſua ſponte nota fuiſſet oriri; barbaris regionibus et calidis, incolaram perpauci, in vitae aliqua parte, evadunt. Praeterea, qui Framboeſia ſemel infecti, iis nunquam morbus revertitur, ut ſaepenumero ſyphiliticis fiat. Quovis modo, ab ulcerum facie, albore circa puſtulas et earum ſitu, capillis albis, aliiſque hujuſcemodi, dubitatio de morbo hoc aufertur. Impetiginis ſpecies eſt, quae, primo, maximam ſimilitudinem huic habet, nigrorum lingua Crocrow, at, paucis diebus elapſis, facile ab hoc dignoſcitur.

PROGNOSIS.

Si Framboeſiae toto ejus curſu, ſanationis bene adminiſtrata ſint remedia,

propitius ſemper eventus ſequitur. Sed, ſi debilitantia, ſcil. purgantia, emetica et caetera ſanguinis purificantia, ut vulgo nuncupantur, ſimul vegetabilibus cum victis, quibus aeger adhaerere juſſus; denique ſi longum per tempus morbus permanſerit, de terminatione caute declarare debemus. Ex mercurio male applicato ac intempeſtive, plurimi, ut videtur, morbifica repulerunt que pro tempore ſubigerunt; at morbus, vi majore, plerumque ſupervenit aegris. Ulcera etſi phagedenica, morbo progrediente, orientur, aliqua ſpes ſit, curationem, quamvis remotiſſime, morbi hujus effici poſſe. Magnitudinis papularum aut tumorum minutione, morbi terminatio ſemper anteceditur. Neceſſe, tamen, ut, hoc in morbo, auxilium medici quamprimum vocaturum fuerit, ſi amovendum periculum omne ſit.

CAUSAE REMOTAE.

Hac in parte tractare de causis predisponentibus ac excitantibus volo. Quemque in morbum, qui generi humano invadit, in corporis habitu plerumque aptitudo peculiaris extitit. Hacce, aut infectio facilius accipitur, aut cujusque morbi seminia citius nascuntur; ullius morbi medicis nominatur causa predisponens. Etsi, ut supra memoravimus, nigros Africanos vim morbi hujus effugere raro accidit, tamen sequentibus plane, predispositionem quocunque modo morbum hunc favere et inducere necesse esset, apparebit; nam, praeterea rem se ita habere ex in caeteris analogia in ferre, quoque ex multorum conditione, infectionem suscipere, qui, quam alii minus aptati sunt, possimus. Quum, inter sexus utriusque servos nigros, Framboesia, Occidentali in India, maxime apparet, et albos inter incolas nunquam

aut faltem minime, habitum exiftere hinc praecaufantem, vix recufemus. Vindemiatores, quique agros colunt, etiam qui vegetabilia plurima comedunt, hos, magis, caeteris paribus, hoc morbo exerceri quam alii, faepe numero obfervavi. Contra domi, qui manent, fuis ferviunt magiftris et de animalum carne comedunt, Framboefiae plerumque innocuui vivunt. Illi coenofi, atque modo tali inquinantur, utique perfpirationis pori obftructi funt; His vero, balneariis aquis fe quotidie proluunt, et generofius fefe alunt, evacuatio morbifici miafmatis per cutem maxime promovetur, et eo robuftiores fe reddunt. Sed habitum hunc praedifponentem amplius pofthac explicabo.

CAUSA EXCITANS.

Contagio modus, quo morbus hic, eft, ab uno ad alterum, traditur. Ab infecti tumoribus humiditas, ut antea dictum, ichori vel fero fimilis, diftillat, quae, cor-

poris parti laesae applicata, hac via, integro contrahitur. Tali in modo, musci saepe contagium, considendo, adferunt. Cum affectis, quovis fere modo, ullum habere consortium periculosum est; et nonnunquam, in eadem cathedra, audivi, quae calefacta aegris, sedendo, ut plurimi morbum contraxissent.

Antequam causam tradere proximam progredimur, de causarum actione paulo remotarum plenius agendum. Quum contagionum obscurissima natura et actio est, cumque variis ex principiis varii auctores conati effectus earum deducere, a quibus nihil inventum certum adhuc fuisset, ea praeteream. Non est nobis hic tantas lites componere.

Partibus diversis rite perpensis, nexuque inter se, equibus corpora nostra constituuntur, simul externis cum rebus queis afficimur, actionem, hoc, ut in morbis aliis, miasmatis forte intelligere facilius poterimus.

Deus sapientissimus corpus humanum

ita finxit, ut externis cum rebus facile afficiatur; etiam has inter res effectusque suos certam et invariabilem connexionem constituit, per quam, potestatibus applicatis, functiones salutiferae aut, juxta naturam, progrediuntur; et ab systemate toto vel parte aliqua perturbata, modis externis seu internis, morbi inducuntur. "In omnibus vitae statibus homo et reliquae animantes a mortuis se," Joan. Bruno ait, auctor haud quaquam mediocris, "vel alia quavis inanimi materia, "hac sola proprietate differunt; quod "externis rebus et quibusdam sui pro- "priis actionibus, sic adfici possunt, ut "ipsis vivis propria, suae actiones, effi- "ciantur." * Iterum auctor idemque progreditur: "Id facientes res externae "fere omnes sunt, calor, victus, sanguis, "hinc segregati humores, et aer." †

Omnibus perclarum est, quod, salutis in statu, caloris quantitas certa corpori-

* Elem. Medicin. cap. ii. sect. x.
† Id. sect. xi.

bus noſtris neceſſaria, ut ſolida aeque ac fluida functionibus propriis rite perſiciant. Hic animalium calor, quamvis, ſalute valente, ſuppeditetur atque conſtanter ſuſtentetur, obnoxius, morbo praevalente, aliiſque ex rebus, nimis eſſe profuſus. Sed, quoniam, perſpiratio inſenſibilis ſimul ac aperta, quocunque modo, ab corporis calore et medio circumambiente, pendet, ad cauſarum augmen et repetitionem augebitur. Perſpiratio immodica, ut Cullenus celeberrimus dixit, efficiet maciemque debilitatem, etiamſi plurimi alimenta praebentes victus quotidie capiantur. Fluidorum, majore ſolito ex ſumptu, defectio, variis modis macritudinem efficere poteſt. Primum, quum aeſtus aut exercitatio ſanguinem in vaſis ita properant, ut, organis perſpiratoriis, oleum et cibi partes alimentariae intempeſtive corpore efferuntur; quo, textura cellularia, ſolitis ſuppetiis carens, collabitur. Porro, quandoquidem, labore ac exercitatione ſyſtematis ſangui-

feri actio valde promovetur, fit, ut sanguinis oleum non tantum minime secernitur sed, quod antequam deponitur, id, absorptum, et e corpore, separatis excretoriis omnino fortasse evectum est. Cum, maciei atque debilitatis his causis victus vilisque macilenti additur usus, hi diri effectus, usque certius ac citius, assequentur. Si, fit alimentis, quae, nullum aut saltem oleum minimum, recipiantur, suppetiae pauxillae, damni ratione assidue affecti vel evacuatione et excretione perpessi, praebebuntur.

Quod attinet ad victum, totidem verbis Doctore Culleno observatum, quod vegetabilium partes herbaceae animalia non tam, semina quam pinquefaciunt, nec haec tam multum, quam caro caeteraque ejusdem generis, quae, majorem quantitatem olei habent. Hinc, ii, quos alunt vegetabilia, raro nitidam aut succulentam corporis habitudinem ostendunt. Has observationes accommodati, Nigrorum Antiguensium, aut Indiae Oc-

cidentalis ubertim conditioni, invenire caufam propiorem morbi de quo nunc agitur, forte poffimus. Notandum quoque, Framboefiae rationes eadem, pro noftri notitia, circa Africae littora multum praevalere.

Notiffimum iis, quibus faepe fuit, infularum occidentalium fervos nigros videre atque alloqui, illos permultum fudorem emittere, aequè ac perfpirationis materiam; huic rei, algorem, qui tactu percipitur. Super eorum cutem, affignare, debemus. Infuper, victus, quum alimentaria fere qualitate deftituitur, quotidianum fumptum reparare minime capax. Plerumque herbis et farinis vilioribus vefcuntur, fcil. phafeolis, folanis hujufque generis aliis. Rebus fe ita habentibus, corpora plurimum redacta et debilitata non mirum eft. Hinc, vaforum exhalentium ora valde dilatata, paludum miafmata aliafque infectiones, quae corpori adhiberetur, abforbere naturâ habiliora funt. In hanc fententiam

Doctor Mead memorat, peſtis praevalentiam, India Orientali, ad incolarum debilitatem naturalem, referre poſſe: Sed ſua verba libentiſſime citamus; " A fa-
" mine," ait, " is very often ſucceeded
" by a peſtilence; and this calamity ge-
" nerally begins among the poorer ſort
" of people, whoſe diet to be ſure is the
" worſt.

" The city of Surat, in the Eaſt Indies,
" is ſeldom or never free from the
" plague; and yet it is obſerved, that
" the Engliſh, who trade there, are in
" no danger of being infected thereby.
" Now the chief of the natives in this
" place are Banians, who neither eat
" fleſh nor drink wine, but live very
" poorly upon herbs, rice, water, &c.
" and moſt of the inhabitants do the like,
" except the foreigners; this poor fare,
" together with the heat of the climate,
" makes them ſo liable to malignant diſ-
" tempers; from the attacks of which

" thoſe who feed well are more ſafe and
" ſecure." *

Praeterea, nigros inter ruſticos, ſordes, ut antea dictum, tam multo valent, ut contagioni maximum auxilium praebeant. Nam, cum, pori minimi, qui ſemper e cutis ſuperficie materiam tenuem exhalant, ſqualore obſtrincti ſint, perſpiratio reprimatur, et gluten acre poris generetur. Et vero, puſtulas primas apparere his in locis, quibus ſqualor magis congeritur, frequenter vidimus. Ex ſupra dictis, Framboeſiae, inferre

CAUSAM PROXIMAM

Debilitatem eſſe, poſſimus, quae inducta, aut perſpiratione nimis profuſa, victu vegetabili, qui nequit damnum ſupplere. Cauſarum remotarum nonnullás indicere, et proximam ſtabilire, quae, Framboeſiam, ſimul cum contagi-

* Mead's account of poiſons, eſſay v.

nis actione, gignere atque perducere in unum consentiunt, conati; nunc peragendam morbi ad symptomatum nonnullorum rationem pergamus.

RATIO SYMPTOMATUM.

Pustularum. De secretione notitia nostra minime extenditur. Tantum, tamen, certum apparet, quod fluidorum circulantium magna illa in quantitate, principiorum et partium diversitas existit. Harum nonnullae, a natura, corpus adhiberi nutriendo et sustinendo, designantur; aliae, officiis suis functis, ut excrementitia, putentur, quae ore vasorum suorum ex corpore emittuntur: si, aut, intempestive, priores ejectae sint, aut posteriores in corpore retineantur, ab iisdem inducuntur morbi, et systematis pars ve totum affectum evadit. Quum, igitur virus Framboesianum, in corpus affici ab eo predispositum, quocunque

modo accipiatur, in humorum circulationem ſtatim ſubiit, ac diverſis cum fluidis ſeſe difundit. Vis univerſi ſyſtematis, ex corporis debilitate, ejus actionem vincendi non capax eſt, itaque de die in diem magis valet, et cachexia continuo augetur. Denique, naturae conatibus hanc contagionem expellere, partim ſecernitur atque perſpiratoria in foramina propellitur: at, exitu negato, his in locis ſudore aliiſque ſecretionibus commiſta, acriorem evadere credibile eſt. Hinc puſtulae, quae, pro rebus poſt memoratis magis aut minus copioſae, oriuntur. Ab his, ſi medicamenta et regimen commodum nunquam adhiberentur, phagedaenica ulcera, nodi exoſtoſes et caeterae conſequentiae dirae ſequuntur.

Copiae aut paucitatis puſtularum. Cauſam puſtularum in variolis tradente a Doctore Culleno, memoratur, quod magis aut minus virulentae atque copioſae, uti

que humorum corporis plus aut minus; morbillosa ab contagione suae naturae simuletur; et prout, materiam expellere, cutis aptior sit.* Anne contagio Framboesiae specifica prope eodem in modo agit? Atque pustulae hujus nonne copiosiores, quo tempore virus repellitur inque corpore tenetur, necnon vice versa?

Continuationis. Quamdiu contagionem manere in corpore sinimus, magis usque magis in die augebitur. Interim, corpus magis debilitatum fit, quo, viri actionem sustinere minus possit; hinc totius systematis remisso ex habitu, aequè ac humorum acore particulari, morbus saepe diu perstat. Si vis definita, dato tempore, effectum determinatum producat, ejusdem major vis quantitas, eodem tempore, effectum quoque majorem dabit: Atqui, quoniam virus Framboesiam, nisi prius debilitati obviam ire, semper priori novam vim addit, necessario se-

* Cullen's first lines, vol. ii. DXCVIII.

quentur, hunc morbum, non tantum, longum per tempus permanſurum, ſed augerique inveteraſcere.

Debilitatis. Symptomatis hujus rationis mentionem fecimus, quum, cauſarum remotarum actionem illuſtraremus. Fortaſſe hic notabile eſt, quod modus curationis, qui, purgantia, aliaque antiphlogiſtica, defendi vix poteſt, adhibet.

Crinium *alboris affectas circa partes.* Remiſſis corporis ſolidis, ex puſtulis humor aquoſus, ut, hoc in ſtatu, ſemper fit, ichori ſimillimus ſtillabit; uti tenuiſſimus atque acerrimus, facile ſuper cutem diffunditur ac huic adhaeret, partibus aquoſis pedetentim exhalatis, craſſiores in cutem atque crines ſiccant et colorem album faciunt. Cum primum acrimonia minuitur, atque pus laudabile rite formatur, partium, quibus applicetur, colorem non diutius humor puſtulae mutare poteſt.

PORPHYLAXIS

Iſtae hoc in morbo praeveniendi rationis occurrunt, ut ſanitas corpori conſervetur:

1*mo*. Debilitatis, roborante et ſalutifero victu potuque, cauſas, tollerc:

2*do*. Rationem, quoad corporis et veſtium munditiam, habere:

3*tio*. Ab accipienda infectione, ab iis morbo affectis, caute cavere.

Noſtram curam, ad ſervorum nigrorum ſalutem praecipue verſi, in Occidualis Indiae inſulis, qui, diri hujus morbi vaſtationibus, praecipue ſubjecti ſunt, Framboeſiae occurrendae modos, qui aptiſſimi, proponamus. Imprimis, ut morbum occurrendi optima methodus, victum largum ſuccique roborantis plenum preſcribere volumus. Nobis opus fuit, ſervorum cibaria eſſe plerumque vegetabilia, ante memorare, ſimul quibuſdam cum craſſis farinis: At, forte magiſtris,

ex eventu, animalium carnis quantitatem modicam ter aut quater de hebdomade ſingulis laborantibus tradere, conduceret. Sic et ſalute inque robore extarent, et dominis ſuis graviora penſa praeſtare valerent. Illis in inſulis patet, quod, ea tempeſtate, cum cannae ſaccharatae in manibus ſint, morbi non tantum iis deſunt, ſed quoque perſucculenti evadunt. Itaque, ſi Domini, corpora et animos ſuſtinere ſic ciboque potu curarent, ipſis commodi eſſet, et morborum miſeriae ſervis multum minuerentur.

Celebr. ab ſanctorio jamdudum ſcriptum, aquam gravidam factam particulis extraneis, perſpirationis canales parvas obſtruere, et materiam ipſam ichoream reddere; hinc diſpoſitio cachetica saepiſſime inducitur: Verum clarius quam ut nobis promulgandum, quod aquae, quibus, generis peſſimi ſunt, nigri ſaepe utuntur. E paludibus depromptae ſtagnantibus, vegetabilium putrium, atque

materiae mineralis aut foſſilis, quantitatem maximam continent. Quandoquidem, alimenti noſtri aqua vehiculum praecipuum eſt, ut pura ſit, maxime nobis confert. Hippocrates, qui tractatum eximium hac de re ſcripſit, non tantum morbos, ſed quoque temperamentum habitumque nationis diverſae incolarum, diverſis aquae qualitatibus, quae naturae iis ſuppedita, attribuit. An Domini igitur benefacerent, diverſis in agrorum locis ciſternas lapide percolante accommodatas, in ſervorum uſu, extruere?

Quo munditiae habitus inter hos ſervos, foeditati nimis propenſos, inſtituerunt; modi, qui mihi aptiſſimi videntur, ſunt, ut, eos, curatores fideles, alterno quoque die, ad umbram frigidam, opere peracto, ducerent, ibique, uſque frigeſcant, detineantur; tum, quemque veſtes exuere et ſeſe lavare in balneis compoſito extructis, curent. Sic, brevi tempore, illis munditia optabilis fieret, et lavandi

ſeſe officium ultro tandem continuaretur.

Jam, cum iis hoc ſub morbo laborantibus, commercium, aut quovis modo conſortium habere, periculoſum eſſe; memoravimus. Diſcrimen a Framboeſia, quod, tali modo, oriretur, quantum poſſibile ſit, occurſurum eſſe, Domini, pro receptione aegrorum, agro in remoto, valetudinarium extruere debent. Univerſos nigros, ſemel quaque hebdomade, peritus in conſpectu ſuo incedere jubeat. Quamprimum morbi hujus ulla ſymptomata appareant, infecti in valetud. mittantur, ibique teneantur, donec convaleſcant. Diſceſsûs tempore, ne contagio ſuis ſociis impertiretur, aegrotorum veſtes omnes comburantur, aut ſaltem optime laventur. Priuſquam mancipia ab negotiatoribus coementur, maxima cura adhibeatur, ne ipſo tempore aegrotentur; namque mercatoriarum navium chirurgi, ſaepe, unguenta quaedam et lotiones, quae papulas depellunt et

cutem mollem reddunt, quo deciperent emptores, applicare ſolent. Domini de hoc caveant, quia, vi majore poſthac erumpere, morbus tantum, pro tempore, celatur.

Has premonitiones obſervando, uti foedus hic morbus maxime miteſcere poteſt, ſi non penitus occurri, putamus.

Quaeritur; necne Framboeſia ex corpore morboſo in ſanum inoculatione, ut in variolis, morbillis et nuper in peſti fit, commode transferretur?

METHODUS MEDENDI

Prima et fere ſola hoc in morbo indicatio, quae nobis occurritur, ut recuperandae ſanitatis finis abſolvatur, eſt, vigorem priſtinum corpori reſtaurare, ut contagionis vim facilius ſuperaret. Remedia, quae huic conſilio applicanda, cum morbi diuturnitate, variare neceſſe erit. Nam, cum in prophylaxi, quaque heb-

domade, nigros ſervos coram cuſtode ſedulo recenſeri, hac via, morbum prima periodo detegere poterimus. Medicamenta, cum res ita ſe habeant, mitiora, debent. Cum primum, hoc morbo affectum viſere facultas medicis data eſt, balneum tepidum, aut nimirum frigidum, ſtatim paretur, morboſus ſe ipſum perlotus, veſtimenta pura ſe induat. Aeger habeat decoctum pinque ex carne confectum, et ſubinde carnis ipſius paulum capiatur: hora ſomni, gr. xx. pl. aut min. pro viribus vel aetate, pulv. dover. quoque capiantur. Sic, ſqualore amoto, et canalibus perſpiratoriis deobſtructis, ſyſtematis totius pars quaeque functiones ſuas peraget: humor lenis ſuper corpus inducetur, quocum virus avolet. Victus nutrimentarii uſque continuentur; atque, ſi unquam neceſſe ſit, balneum callidum repetatur: veſtes ſaepe mutentur, namque ſqualor plurimum curationi obſtat, ac virus ipſum iterum ab cute corripitur. Cereviſiae primae, ni

plurimum ſumptum faciat, quoque die, commodiſſime exhiberetur paulula quantitas.*

Si morbus, ex quadam negligentia, diu extiterit, antequam auxilium medicum advocatur; et, ex primarum viarum conditione, ſi opus fuerit, emeticum et catharticum acre, ſeu enema adhiberentur. Poſtea aegrotus, ut ſupra dictum, ſeipſum lavet, et regimen praedictum ſtrictiſſime uſurpet. Si poſthaec, morbus remediis his haudquaquam cedet:—Recipe camphor. pulv. drachmam unam, antimon. crud. pulv. unam unciam, flor. ſulphur. unam et ſemunciam, ſyr. com. miſce fiat electuar. cujus capiat aeger q. n. moſch. min. m. et h. ſ. Alterna quaque nocte, vin. antimonial. gut. xl. quoque habeat, aut, ejus vice, pulv. dov. doſ. repetatur. Lignorum aliquorum decoctum, communi pro potu, nonnunquam utile fuiſſet; horum,

* Bell's treatiſe on ulcers, p. 417.

guaiaci rafur. lig. faffafr. ufitatiffima funt. Ut mercuriales preparationes perfaepe, pejore in conditione infectum relinquunt, ab earum ufu diffuadere malumus: has morbum depellere quidem aliquando compertum fuit, fed, faepenumero, in offibus dolor, aliique morbi contumaciffimi inducuntur. Cum primum, puftulae pus laudabile effundere, ulcera efcharoticis erodenda, atque ungt. quoddam digeft. applicandum eft.

Dr. Hillary, de quo antea mentionem fecimus, antimonialia fimul cum Ethiope minerali multum laudat; his conjuncta decocta farfaparillae et lig. guaiaci, plurimum, materiam morbidam, ait, expellere, et humorum acrimoniam corrigere, valent. Denique, ptyalifmum movere, mercurialia, fub morbi finem, adhibere fuadet.

Modus, quem vetulae adhibent, adhuc parum notus eft. Animi earum fuperftitione imbuti, morborum multorum curationem virtutibus caecis herbarum,

attribuunt. Ita magis de caſu quam conſilio, morbum in curando, ſucceſſus earum conſtant. Tamen, concedendum, quod, Indiam per Occidentalem, pauci ſunt empirici, qui, ex uſu longo, hujus morbi violentiam avertere, didicere.

F I N I S.

DISSERTATIO MEDICA,

INAUGURALIS,

DE MORBI VENEREI NATURA,

ATQUE

DE FACULTATE PROPRIA

QUA IN HUNC

MORBUM POLLEAT

ARGENTUM VIVUM,

QUAEDAM PROPONENS.

DE Siphylide indaganti haec fere primum venit confideranda quaeftio, anne fit novus morbus, an veteribus cognitus? De ea enim re multum difputare folent auctores medici. Adeo fufe autem differuere, dum hanc exolverent quaeftionem, ut quae ab illis proferantur argumenta, ea, ufitata hujufmodi differtationum brevitas, ftrictim omnino perfcrutaffe vetet, immo ne fummatim quidem attingere finat. Illam tamen fatendum eft multo magis verifimilem mihi videri fententiam, quae fiphylidis recentem originem fibi vendicat, atque hanc potius inter medicos valuiffe credo, quorum plerifque perfuafum eft, hunc morbum ante feculi decimi quinti finem nullo modo extitiffe *. Ad quod autem con-

* Vid. Aftruc. Vol. I. Lib. 1.

ſirmandum, alia quae memorari poſſit res, magnopere, ut opinor, confert. Si nationibus enim antiquis innotuiſſe putaretur Siphylis, ut Romae quoque apparuiſſet, quam per tot ſecula caput mundi permaniſſe, atque cui exteros ab omni orbis terrarum parte concurrere ſolitos fuiſſe, omnes noſcimus, vix certe dubitandum eſt. Iſta autem poſtquam ſeſe oſtendiſſet urbe, ſcriptorum Romanorum quin obſervationem ſibi vendicaſſet, impoſſibile fere videtur. Poëtarum ſaltem attentionem meruiſſet tam dira atque contagioſa labes, Satyrae occaſionem praebens, ut ſeveritati ita licentiae aptiſſimam. Nulla tamen de Siphylide facta mentio eſt a ſcriptoribus Romanis, atque ſilentio eorum ſummi forſan momenti derivari poſſit argumentum, hunc morbum ignoraſſe prorſus nationes antiquas †.

SIGNORUM ENARRATIO.

Viri venerei in corpus humanum effectus in duo ſtadia diduci poſſint. Horum alterum a

† Neque Horatius ad mores hominum notandos ita praecipuus et vitia, ut poenas quae ſequantur vitia; neque acrior atque licentior Perſius, aut Juvenalis, aliquem attigerunt morbum in carminibus ſuis qui ulla cum probabilitate pro Venereo haberi poteſt.

ſimplici viri contactu cum aliqua corporis parte oriri ſolet, atque *Locale* vel *Primarium* nominabitur. Alterum magis commune eſt, atque a veneno in vaſa ſanguifera recepto, ac inde poſtea in varias corporis partes erumpente, originem ducit. Hoc ſtadium appellabitur *Secundarium*.

Stadium prius quoque variare videtur ſecundum corporis locum quà applicetur contagium. Si locum ſecernentem et glandularem afficiat virus, ſuppuratio ſine ulcere, fere ſolum concitatur, ſub Gonorrhoeae nomine; ſi autem in locum neque glandularem neque ſecernentem agat eadem labes, et ſuppuratio, et ulcera ſuperveniunt. Suadet brevitas ut de Gonorrhoea tractare mitterem; liceat ergo procedam ad caeteras morbi partes.

DE ULCUSCULO VENEREO.

Viri itaque venerei nec ſecernentem nec glandularem locum inſicientis, quaedam quaſi puncta, velut ſcintilla ignis exuſta *, alte rubentia, concitare, prior pene effectus eſt, quibus autem cito decedentibus, infra oſtendunt ſeſe ulcuſcula, mali quidem habitus, ſed quae non tamen facile eſt deſcripſiſſe verbis. Colis glandem in maribus,

* Vid. Andree, Obſ. on Ven. Diſ. p. 6,

plerumque occupant, atque praeputii superficiem internam; in foeminis autem praecipua sedes est, clitoris cum ejus praeputio, vulvaeque labia, velut partes quae sensu prae caeteris acuto polleant. Ad excitanda illa, quod tempus necessarium sit, diversum est in diversis aegris. Spatium intra horas xxx, et iv vel v dies, plerumque requiritur, etsi aliquando hoc tempore serius aut citius concitentur ulcuscula: uno quidem a Huntero memorato exemplo, quo etiam post menses duas, effectus suos edidisse dicitur venereum virus *.

Inflammatione vel majore vel minore haec semper comitantur ulcuscula. Quae autem ejusmodi prae se ostendit signa, inflammatio, originis venereae non verè esse dicentur, quod aeque ac a venereo pure eadem concitata videre est, ab ulla alia stimulante noxa: cujus autem generis praecipua sunt Phymosis et Paraphymosis; Vicinarum partium Phlegmon et Erysipelas; Gonorrhaea symptomatica; atque Testium Tumor.

Quando colis super glandem cutis reduci non potest, Phymosis nominatur. Ulcuscula venerea hic comitans affectus, multum habet incommodi. Abscessibus inter praeputium atque glandem originem praebet, nec medicamenta adhiberi sinit. Praeterea si inflammatio vehemens fuerit, praeputii extremitates adhaerere cogendo, impedire urinae viam periclitetur ‡.

* Vid. Hunter. Treat. on Ven. Dis. p. 218.
‡ Ibid. p. 222.

Paraphymosis contra dicitur cum praeputium ita intumuit, ut super glandem induci nequeat. Altera periculosior, quippe cutis circa colis glandem constrictio, iter sanguinis impediendo, gangraenam minitet.

Inflammatio Phlegmon et Erysipelas dicta, qua stipantur ulcuscula venerea, nil proprii habet, a vulgari phlegmone et Erysipelate, quadam alia causa, siphylide aliena, oriente.

Gonorrhaea symptomatica, atque Testium tumor non accidunt, nisi morbi initio, et inflammationi vehementi †.

Ad ulcuscula venerea in Foeminis dignoscenda, descriptione nova nullum opus est. Numerosiora esse quam in viris solent, a superficie veneno exposita largiore; et inflammationis minus habere, a sensu habetiore quo pollent mulierum naturalia.

De vitiis quae ulcusculis superveniant.

Ulcusculis autem quaedam alia succedere assuerunt vitia.

1. Praeputii insueta crassities, a praecedente inflammatione.

2. Verrucae, quae secundum varias earum formas, variis donantur nominibus, sed quae omnes videntur esse ejusdem naturae.

3. Carcinoma. Hoc vitium periculosum post ulcusculum impletum aliquando supervenit.

4. Ulcuscula non venerei generis, sed quae

† Vid. Andree. Ob. on Theor. and Cure of Ven. Dis. p. 6.

eodem loco insideant quo priora venerea.

5. Morbi venerei Stadium quod Commune, vel in toto habitu inesse dicitur. Stadium hoc ulcuscula multo saepius quam Gonorrheam sequitur, ratione, Huntero teste, unius a Gonorrhaea, ad centum ab ulcusculis, infecti †.

DE BUBONE VENEREO.

Veneni siphylitici alter localis effectus est Bubo venereus. A pure venereo ab ulcusculis resorpto, inguina advecto, ibique sui generis inflammationem in glandulis conglobatis ciente, gignitur. Hinc summo corpore, ubicunque reperiantur hujusmodi glandulae, oriri possint bubones, sed pro evidenti causa, inguina potius infestare solent; atque idem fere occupare latus, quo penis latere, prius sita fuerint ulcuscula ipsa. Si penis utrumque latus erosum sit, tum intumuisse quoque utraque inguina periculum est. Bubonum praecipua sedes est in maribus glandularum inguinis superior ordo; in foeminis autem frequenter accidunt quo loco terminent ligamenta rotunda dicta, atque ad labiorum latera ‡. Aliquando, sed raro, sine ulcusculo praecedenti, superveniunt bubones.

† Vid. Hunt. Treat. on Ven. Dis. p. 288.

‡ Ibid. p. 260.

Atque hunc quoque affectum, quam ulcuſcula frequentius, comitatur gravis phlegmon aut Eryſipelas.

DE LUE SECUNDARIA.

His de Venerei morbi primario vel locali ſtadio memoratis, proximum eſt ut de illo dicam quod Secundarium vel commune nominatur. De iſta autem appellatione, obſervare aliquid neceſſarium erit. Ab ea enim minime intelligendum eſt, hoc luis ſtadio, ac iſtis morbis, ita affici hominem, qui totis corporibus oriri, atque communes eſſe, recte et proprie dicuntur. In iis namque, ut in febribus, pro comperto eſt, ſigna omnia, a quodam totius corporis pendere ſtatu, nec ullam aſſignari poſſe morbi ſedem. In lue autem ſecundaria nihil non contrarium ſeſe habet. Nunquam enim hujus a totius corporis conditione excitantur ſigna, ſed a vitio ſolo locali, atque huic una et certa ſedes perpetuo aſſignari poteſt, *ſummum* ſcilicet *corpus*. In partes enim ita ſitas, atque in illas ſolas, rabiem ſuam excercere valet venereum virus, etſi hoc morbi ſtadio in ſanguifera vaſa receptum fuerit, et per humores totos diffuſum. Neque enim ab exemplis memoriae traditis, fide dignis, oſtendi poſſit, malum hoc infeſtaſſe unquam, aut cerebrum, aut ventriculum, aut

intestina, aut ullum alium de corporis interioribus locis †. Quos autem effectus summo corpore excitare soleat hoc luis stadium, si auctorum recensione judicandum sit, hi pene innumerabiles reperientur *. Nullum enim modum sibi statuerunt medici in hujusmodi enumerandis malis; etsi forsan hos ita adscriptos lui morbos si paullo strictius consideremus, eorum plerique aut aliorum morborum propagines deprehendentur, aut saltem illos vix ac né vix quidem observare possimus temporibus hodiernis. Eos igitur recensuisse sat erit, qui haud dubie a lue venerea originem trahant, atque a medicis enumerentur praesentis seculi. Praecipui sunt Oris atque Faucium ulcera. 2. Cutis maculae et variae Impetigines. 3. Dolores caeterique ossium affectus. 4. Tubercula atque carnis durities; quibus addantur, 5. Ophthalmia venerea, 6. Surditas venerea.

I. De oris atque Faucium ulceribus.

In omni circa guttur et fauces parte hujusmodi ulcera videre est, sed tonsillis, uva, et palato fere oriuntur. In narium cavitate quando accidant, Ozaena Venerea nominatur morbus. Ab aliis ulceribus nulla verborum descriptione, sed frequenti solum inspectione dignoscenda sunt. Hac re tantum differre videantur ab ulceribus primariis, quod minore circundentur inflammatione.

† Vid. Hunt. Treat. on Ven. Dir. p. 305, 306.
* Vid. Luisin. aphrod. Astruc. de Morb. Ven. lib. iv.

II. De cutis maculis, aliaque Impetigine.

Quaecunque vitia corporis cutem male habuiſſe nota fuerint, ea inter venerei viri effectus ab auctoribus recenſentur. Horum frequentiſſima quae vero accidant, ſunt coloris ſubrubri maculae, faciei atque frontis cutem praecipue occupantes, aliaſque corporis partes aëri externo expoſitas. Hujus autem generis, quae primae apparuerint, eae vulgo evaneſcere ſolent, ſed aliae ſuccedunt, quibus invicem recedentibus, ita repetita res eſt, ut cute tandem eroſa, infra relinquatur ulcus *. Manuum palmas, atque pedum plantas, ſi infertarent hujuſmodi ulcera, Rhagades vulgo appellatur morbus, et inſanabilis fere evadit †. Ex hiſce quoque gignuntur maculis bullulae quaedam, ſero repletae, quae alis et inter nates orientes, Herpem conſtituunt veneream ‡. Scabies calvariam inter capillos foedans, Porriginem veneream, vel Tineam capitis facit. Ab cute labes venerea aliquando ad ungues ſerpit, quae eroſae decidunt; nec capilli ipſi periculo vacant, ſed ſubinde fluxiſſe dicuntur.

III. De doloribus caeteriſque oſſium affectibus.

Effectus in oſſa non minus graves exercet Siphylis, quam in cutem. In omnia autem oſ-

* Vid. Hunt. Treat. on Ven. Diſ. p. 320.
† Vid. Plenck. Andree, obſ. on Ven. Diſ. p. 138. Aſt. vol. 1. lib. iv. c. 3.
‡ Vid. Hunt. Treat. on Ven. Diſ. p. 320.

ſa, non aequis pollet viribus. Illa fere ſola infeſtare aſſueſcit, quae et exigua defendantur carne, et aëri externo magis obnoxia videantur. Hujus generis ſunt, de Calvaria frontis praecipue, temporum atque parietum oſſa; jugulum, ſternum, ſcapulae ſummae, cubiti extremitas, tibiaeque pars anterior *. Oblongorum oſſium medias et portiones ſolidas pene ſolum invadit.

Siphylidis in oſſa inguentis ſignum fere primum eſt dolor magis vel minus intenſus, saepius tamen intermittens. Hunc tandem ſequitur quaedam oſſis pinguedo quo loco prius affecerit dolor, atque qui ita oriuntur tumores, pro materie qua varie componuntur, variis donantur nominibus. Si mollia ſint, Gummata nominantur, quae perioſtei vitia eſſe, adfirmat Aſtruccius; ſi dura, inſtar oſſis ipſius, Nodi, Tophi, Exoſtoſes. Oblongorum oſſium extremitates tumore affectae, auctorum Hyperoſtoſin faciunt. Vitiorum autem omnium quae oſſibus incidunt longe pernicioſiſſima eſt Caries, quae remediis neglectis his ferè omnibus ſuccedere minitet. Quà tamen maxime infeſtat peſtis haec, ſunt palati tenuia et narium oſſa, ubi ſine tumore precedente invadere ſolet. Hic saeviſſimam ſuam excercet rabiem; atque parities inter

* Vid. Hunt. Treat. on Ven. Diſ. p. 307, 308, 309. Swed. Pract. ob. on Ven. Diſ. 105, 106. And, ob. on Ven. Diſ. 103, 104.

os et nares destruendo, ut et ossa nasi planando, duas foedissimas morbi reliquias non raro post se relinquit. Siphylidis quoque prolem esse, Spinam Ventosam, quidem medici auctores sunt. Enumerantur etiam inter ejusdem effectus, ossium Mollities et Fragilitas *, terra ex qua constituuntur absorpta; utraque tamen rarissime, seculis hodiernis observare est.

IV. Tubercula, atque carnis durities.

Cutem autem inter calvariae capillos, collumque posterius, praecipue infestare solet hujusmodi durities. Callositas ferè sub cute duriuscula est, non occulo, sed chirurgi solum digito dignoscenda, nec quid doloris habet †. Tubercula naturalibus orientia, appellantur varie, velut Porri, Cristae, Condylomata; circa anum autem genita, aliis nuncupantur nominibus, Mora, Fici, Mariscae ‡. Haec tamen postrema, Siphylidi nòn recte ascribi debebunt, quod a causis, viro venereo alienis, saepissime gignuntur.

V. De Ophthalmia Venerea.

Occulos quoque, ingruente viro venereo, omnigenis vitiis patuisse a scriptoribus dictum est. Hoc autem longe frequentissimum est, quod adnatae tunicae, punctorumque lachrymalium ex inflammatione, atque lippitudine nascitur. Inflammatur etiam vicina cornea, ali-

* Vid. Swed. Pract. obs. on Ven. Dis. 237.

† Andree obs. on Ven. Dis. p. 130.

‡ Vid. Astruc. de Mor. Ven. lib. iii. cap. x.

quando ſuppurat. Craſſa alias et maculata fit, cui rei interdum caligo ſuccedit *. Si ad angulum internum pervadat morbus, Fiſtula producitur Lachrymalis. Hanc autem oſſis unguis tenuiſſimi fere excipit caries, vel pernicies iſta in oſſibus vicinis ipſis concitari poſſit, atque inde ad occulum pervenire.

VI. De Surditate Venerea.

Aurium quam occulorum vitia, multo rarius a Siphylide veniunt. A Schwediaur unum quidem refertur exemplum, quà Surditas proveniſſe dicitur, ab ulcere palato molli inſidente, atque, partium conſenſu, tubam Euſtachianam commovente †. Non tamen defuerunt auctores, qui in meatu auditorio tumores duros excitantem, atque auris quatuor officula quidem ipſa, nodis, tophis, et exoſtoſibus exaſperantem, ſecundariam luem deſcripſere ‡.

Haec ſupra memorata ſigna, excepta Gonorrhoea, atque illam quae ſequantur vitiis, mihi omnia viſa ſunt quae rectè et vere aſcribi debebunt venereo viro. Huic autem opinioni fatendum eſt minime conſenſiſſe multos et ſummae auctoritatis viros, qui haec et multo numeroſiora eſſe putarint, et, velut Siphylidis certiſſimam prolem, recitarint. Sic Aſtruccius glandula-

*Vid. Andree obſ. on Ven. Diſ. 126, 137. Swed. Pract. obſ. on Ven. Diſ. 158, 224.
† Vid. Swed. obſ. on Ven. Diſ. 226.
‡ Vid. Aſtruc. de Morb. Ven. vol. 1. p. 423.

rum conglobotarum totius corporis vitia a lue ſecundaria deducit, quas hac cauſa adfirmat inflammatione et tumore aſſici *. Hujuſmodi autem glandulas nec tumuiſſe, niſi applicato primarii ulceris pure; nec ſecundaria ulcera bubones excepiſſe ſolere, docuit nuperior et adcuratior obſervatio. Naturalium quoque ulcera a lue ſecundaria oriri, idem acutor eſt. Sed illa niſi primariae lui ſupervenire, hodie ſaltem nunquam deprehendimus. Neque hic tamen conſiſtere ſolent medici hujuſce morbi effectus graves multiplicando. Velut carminis conditor epici, qui heroa ſuum quam maxime exornatum voluit, atque in omnibus excellere rebus, ſic morborum quicquid, in ulla orbis terrarum parte, ſub ullo coelo, humanum genus cruciaſſe notum ſit, id huic medici attribuere veneno. Ita de vetuſtioribus quidam, omnium generum febres, morbum comitialem, podagram, morbum articularem, atque malorum aliorum mille, ob illo derivant. Aſtruccius quidem ipſe, facultates corporis omnes a Siphylide corruptas eſſe tradidit, animales, naturales, vitales †. Qui autem in hujuſmodi enumeratione longe aliis anteceſſit, eſt Plenckius. Jactata et inventa nuper noſologia nixus, prolifica iſta, et diviſionis abſurdae, et ſine ſine variantis origine, cui apprime ac-

* Vid. Aſtruc. de Morb. Ven. vol. 1. lib. iv. c. iii. S. 6.
† Vid. Aſtruc. v. 1. lib. iv. c. 9.

commodatum videtur, ingenium, venerei viri effectus, in haud minus quam duas et viginti classes, atque genera CVI distribuisse ausus est. Horum autem plurimos morborum hac causa deducere, plane inepti adparet. Enumerantur enim inter classes, Febres Venereae, Spasmi, Adynamiae, Profluvia, Emaciationes; inter genera autem, Febris Exanthematica, Inflammatoria, Intermittens, Tetanus, Hemiplegia, Colica, Tussis, Tenesmus, Phthisis Pulmonalis. Supra necnon observatum fuit, Siphylidem per omnia sua stadia semper morbum localem esse, nec cum iis qui totis corporibus inesse dicuntur, ullam habere adfinitatem. Qui autem nunc recitantur morbi, communes fere omnes sunt, non locales. Neque reddi possit causa, cur magis, vel minus hujusmodi morbis obnoxii essent Siphylide laborantes, quam alii, nisi hoc forte crederetur, illos in hos morbos incidisse solitos, a debilitatrici curatione ista, quam Siphylidi adhibere consuerunt, medicinam olim facientes.

DE SIGNORUM RATIONIBUS,

ATQUE DE

INFLAMMATIONIS VENEREAE NATURA.

A tempore quo per Europam grassari incepit venerea labes, opiniones et multas et varias, de signis ejus atque natura, protulerunt medici. Hae autem sibi proprias formas assumpsisse dicantur a disciplinis istis quae tum forte in scholis valebant, ac velut ipsa quibus stabilirentur principia, jam summa cum fide receptas videre est, postea autem, labentibus annis, explosas. Etsi alias dissidentes tamen, hac una in re sat firmiter consentiunt. Hujus enim morbi causam, in aliqua humorum corporis pravitate, a venereo inducta viro, semper collocari, atque huic solo suborto vitio omnia ejus symptomata semper ascribi debere, inter omnes fere auctores convenit. Quae quidem opinio longe lateque pervasit, atque ad nostra fere usque permanavit tempora. Praesentis namque sub initium saeculi, quando Pathologiae quae Humoralis dicitur instituta, tam ornate exposuit Boërhavius, hanc quoque opinionem, ut auctoritate confirmavit, sic facundia sua illustravit, egregius auctor. Quo enim libello de Siphylide scrip-

ſit, illa ſola utitur ad ſigna explicanda omnia *. Neque qui ei ſucceſſerunt medici, ab ejus diſceſſerunt rationibus. Similem prorſus omnes explicationem ſecuti ſunt, prae caeteris autem Aſtruccius, vir fuſus atque indefatigatus, quem praeceptoris ſui gradibus inſiſtentem, atque per volumina magna haerentem, etſi paſſibus haud aequis, nunquam non obſervare poſſimus. Ea autem jam demum exploſa eſt ſententia, quae morbos omnes in fluidorum corporis vitiis collocare ſolebat, atque ei majore cum veriſimilitudine ſucceſſit altera, quae illos potius derivare ſtatuit ab affectibus ſolidorum. Recentiores itaque hujus morbi cauſam, non, ut olim, ex ulla fluidorum pravitate, ſed ex ſolo venerei viri effectu ſuper aliqua ſolidorum parte, ibique concitata inflammatione, exquirunt. De hujuſmodi autem inflammatione loquentes, novo quodam modo rationari ſolent. Negant enim veneream quicquid cum ullo alio inflammationis genere commune oſtendere; immo omnia ſibi propria habere; atque cauſa, ſignis, et curatione ſua, ab illa vulgo corpus inſidente, prorſus alienam eſſe, contendunt. Atque hinc itaque opinionis hujus primus et praecipuus auctor, Hunterus egregius, de cujus ſcriptis, quam priora conjuncta univerſa, ea plus novi atque utilis, de hoc morbo in medium protuliſſe, omni procul adulatione, dicere opportebit; Inflammationem Veneream velut *ſui generis* nominare,

* Vid. Boërh. pref. ad Luis Aphrod.

atque ab omni alia *Specificae Inflammationis* nomine deſtinguere, ſemper aſſuetus eſt *. Hoc tamen loco fatendum erit, dum venerei morbi conſiderarem ſigna, ſententiam iſtam non ſatis firmatam eſſe mihi viſam. Etſi enim a tanti nominis auctoritate diſſentire, magnopere timebam, nulla tamen deprehendere poſſem argumenta quibus ea evicta apparebat, vel quo minus mihi perſuaſum eſſet, Inflammationem Veneream ab vulgari illa, quocunque corpori admoto ſtimulo oriri ſolita, ullius momento re, vel ad ſigna, vel ad curationem differre. Atque quoniam quidem huic Almae Academiae ſemper mos fuit, nullam credendi ſervitutem ſuis alumnis imponere, nec quicquid diſſerendi copiam, modo id cum verecundia juventuti qua, par eſt propoſitum fuerit, renuere; hanc Inflammationis Venereae de natura ſententiam, neque in medium proferre verebor, neque pro virili defendere. Atque ſimilis quoque magis impetranda venia eſt, quando illic perveniſſem, qua hoc mihi difficilius adgrediendum eſt, qua ſpeciali vi in eandem inflammationem polleat Argentum Vivum, atque illi prae caeteris medicamentis medelae ſit, exponere. Nunc autem ad propoſitum prius redeam, ut oſtendere coner, nulla momenti re differe veneream ab inflammatione vulgari: atque quo hoc facilius demonſtrari poſſit, hujus comparationem inſtituere opus erit cum illa quae vulgaris dicitur.

* Vid. Hunt. Treat. on Ven. Diſ. p. 1. chap. 1.

De hac vero posteriore, haec quaedam prius proposuisse liceat.

Inflammationis ideo de qua hic agitur, assignari possit causa, fluidorum ad partem solito concursus major, a stimulo admoto oriens. Hinc fit ut in vascula tantum serum vehentia propelleretur sanguis merus, atque his nova fluidorum mole distentis, superveniant dolor, tumor, atque rubor. Hujusce secundum stimuli magnitudinem, stadia varia percurrere solet Inflammatio. Si stimulus levis fuerit, veluti leni inflicta plaga, tum sanguinis, quae coagulabilis dicitur, in cellulositatem vicinam erumpit lympha, atque cellulas adglutinando et se et inflammationem sistit, donec, cessante stimulo, pars cito ad sanitatem perducatur. Quod itaque Inflammationis genus a Huntero *Adhaesiva* nominatur *. At si vehementior fuerit stimulus, velut contusio gravis, tum succedunt alia. Fluidorum concursus fit major, copia sanguinis nimia ita vascula distenduntur, ut in debilitatem magnam et laxitatem incidant: quo pacto evenit ut lymphatica vascula penes quae facultatem esse, quicquid corporis vita sua quoddamodo orbatum fuerit, resorbendi, jam compertum est, suum munus exerceant, atque partibus debilitatis exesis, concitetur tandem *Exulceratio*. Si vehementius etiam parti incubuerit noxa, tum prorsus robur suum a-

* Vid. Hunt. Treat. on Ven. Dis. Int.

mitttunt vafcula inflammata, et *Gangraena* nafcitur. Comitatur autem exculeratioenm altera res, vel ei fere fuccedit. Supra ulcus effunditur pus, fluidum novum, atque a caeteris corporis alienum, utpote quod ab inflammatis partis aegrae vafculis fecerni videatur. Si conftituitur *Suppuratio*.

Hifce de Inflammatione Vulgari propofitis, occurrit iterum quaeftio, quomodo de illa differat Inflammatio Venerea? De illa autem hanc non omnino variare, a rationibus quae fequuntur fat facile apparebit.

1. Inflammationis Vulgaris omnigenae femper caufam effe ftimulum quendam, jam fupra memoratnm eft, quod de Inflammatione quoque Venerea fimili modo affirmari poffit. Semper enim a puris foli venerei contactu oritur pofterior, atque hoc ftimulum effe, immo generis fat validi, negatur nemini. Eodem prorfus modo, quo ftimuli alii, quibus admoveatur partes perpetuo afficit. Tumorem atque ruborem fimplicem primo concitat, deinde fuppurationem exulcerationemque, et caetera inflammationis ftadia. Hunc percurrere curfum, fi fibi relinquatur morbus, ulcufculum et bubonem, ut veneream inflammationem omnigenam, nunquam non videre eft.

2. Effectu fuo variat Inflammatio Vulgaris, fecundum corporis partium quas occupet naturam. In loco non fecernente et aëri expofito oriens, fuppurationem ut et exulcerati-

onem excitat; in fecernente autem loco et glandulari, fuppurationem fere folam, et exulcerationis expertem, gignit. Nec in Inflammatione Venerea res aliter fefe habet. Loco enim non fecernenti, et aëri expofito, fi pus adhaereat, exulceratio oritur, ut et fuppuratio, et *Ulcufculum* conftituitur Veneream; quoties in fecernentem autem atque glandularem locum eadem agat labes, fuppuratio fola fequitur, ac formatur *Gonorrhoea*.

3. Variat quoque genere Inflammatio Vulgaris, fecundum corporis vel partis habitum. Hinc in phlegmonem et Eryfipelas diducitur. Nec deficiunt exempla ubi Inflammatio Vulgaris tandem in cancrum defiit. Hifce vero rebus non differt Imflammatio Venerea. Eryfipelas interdum, phlegmonem faepiffime, concitat, aliquando etiam in Cancro terminaffe nota. De quibus autem cafibus, hoc loco obfervandum erit, minus adcurate loqui folere auctores medicos. Enarrare enim mos eorum eft, Inflammationem Veneream, de phlegmone aut eryfipelate, *comitante*, velut illi hae fint res extraneae: ideoque Argentum praeter vivum, auxiliis vel roborantibus vel debilitantibus aliquando opus effe, praecipiunt, ad haec nova occurrenda mala. Ita tamen oriens feu phlegmon feu Eryfipelas, venerei viri, atque inde pendentis inflammationis aeque certa proles, procul dubio habendus eft, ac bubo aut ulcufculum ipfum.

4. Inflammationem Vulgarem cur potius co-

mitaret phlegmon aut Eryſipelas, a partis debilitate aut robore pendere videtur. Inflammationem Veneream eadem ſtipantia ſigna, ſimilem cauſam agnoſcunt. Ulcuſcula enim aut bubonem cingenti phlegmoni, vel inciſa vena, vel ex parte laborante, ſanguinis miſſio adhibenda eſt: dum contra, Eryſipelate urgente, opium, aliaque ſtimulantia, Huntero teſte, optima ſunt remedia. Eorum quoque qui Gonorhoea laborabant, ubi ingraveſcere magis ſolet inflammatio, propter ſuperficiem latiorem, quam in aliis venereis affectibus, venereo viro expoſitam, hos fere ſolos excrcuiſſe Eryſipelas, quorum corpora imbecilla erant, quoque compertum habuit idem ſcriptor egregius. Nec non in pravi habitus hominibus, velut ſcorbuto afflictis, refert Andree, quam in firma valetudine utentibus, latius ſerpere, ſeſe obſervaſſe ulcuſcula †.

His rite perpenſis rebus, patebit id quod ſupra affirmavi, nulla momenti re, a Vulgari differre Inflammationem Veneream: in una tamen variare fatendum eſt, ſat quidem memorabili, ſed quae ad ſigna ejus aut curationem, nil conferre videtur. Facultate pollet enim, ſemper pus generandi ſui ſimile, quod vice ſua pus aliud gignendi ſine fine compos evadit, iiſdemque prorſus praeditum dotibus. Hanc autem venerei viri non tam univerſam quam olim credi-

† Vid. Andree, Obſ. on Ven. Diſ. p. 13.

tum facultatem esse, comperit jamdudum Hunterus. Ab experimentis ejus firmissimè evictum est, primarii puris venerei propriam dotem esse, nec omnino ad secundarium pertinere. Invenit enim egregius vir, nunquam valuisse ad contagium communicandum pus ulceri secundario ademptum.

Proximum est ut Siphylidis signa paullo subtilius explicare aggrediar, ad quod efficiendum, si vera sint, quae supra memorantur, facilior nunc forsan patebit aditus.

I. De Ulcusculo.

Glans atque praeputii superficies interior, quam aliae colis partes, ulcusculis potius infestantur, quod sensu acutiore polleant, atque ita venerei viri stimulo obnoxiores extent.

Quae excipiant ulcuscula mala, non explicatu difficilliora sunt. Phymosis et Paraphymosis nil proprii habent a venereo viro orti. Haec non raro accidit a summa colis cute per coitum retracta nimium et lacerata; illa a naturali sorde sub cutem eandem collecta, putrescente, et inflammationem ciente, frequentissime gignitur.—Quae sequuntur ulcuscula alia, 1. Cutis nempe Crassities insueta, 2. Verrucae, 3. Ulcera quibus superveniat Cancer, Inflammationis sui generis argumenta praebebunt nulla, quoniam omnia ab Inflammatione vulgari concitata persaepe observare est. 4. Quod ad Ulcusculi ultimam sequelam attinet, ulcera scilicet, natura sua, non venerea, sed loca prorsus

eadem infeſtantia, ab ulcuſculis venereis occupata olim, id proprio Siphylidis contagio minime aſcribi debebit. Ea enim lex de corpore humano inſtitui videtur, ut partes quocunque modo deſtructae, dein inflammationis ope renovatae, tandem caeteris debiliores multo evaderent. Vitium autem de quo hic agitur, partibus nunquam niſi illis ſupervenit, quae multis ante ulcuſculis venereis confectae, vix aſſuetas recuperaſſent vires; hinc enim accidit, ut aut corporis totius, aut partis prius affectae ſuborta quadam imbecillitate nova, vim ſupra memoratam, qua in loca tam debilitata, et principio vitali quoddamodo orbata, pollent, ita excerceant reſorbentia vaſcula, ut aut nova moveantur ulcera, aut vetera renoventur. Cujus rei exempla multa in morbis habemus. In Scorbuto, jam pridem fractorum oſſium reſolvitur et reſorbetur callus, ut et vetuſtiſſimorum cicatrices ulcerum, quae etſi olim omnino ad ſanitatem perducta, iterum ſerpere incipiunt.

Ulcuſculo quam Gonorrhoeae frequentius ſuccedere ſolet Secundaria Lues, propterea quod pars corporis exulcerata, abſorptioni omnigenae ſemper magis accommodata eſt, quam ſolum ſuppurans.

II. De Bubone Venereo, praeter jam dicta, explicatione nova nullum fere opus erit. Ad inguina advehitur venereum virus, ibique agens, velut aliquis aequa poteſtate ſtimulus, dolorem primo, deinde tumorem atque ruborem

concitat, poſtremo autem ſuppurationem exculcerationemque. Phlegmonis ſaepiſſime, Eryſipelatis interdum induit ſibi formam inflammatio, aliquando etiam in cancro deſiit. Illud autem ſat quidem mirabile videtur, quod venenum ſiphylitium, etſi in corpus intimum receptum, atque per glandulas conglobatas plurimas, interiore corporis loca occupantes, curſu ſuo diffuſum fuerit, nullam tamen inflammationem niſi iſtis glandulis concitaret, quae ſummo inveniuntur corpore. De qua re, vix ſane explicanda, hoc tamen conjecturare licet. Nonne proprietate admodum ſimili polleat Inflammatio Vulgaris? Extraneo quodam in corpus intimum per vulnus vel aliàs recepto, ſuppuratio ſaepe nulla fit, cujus rei multa memorantur exempla. Sic acus et glandes plumbeas per plures annos in corpore interiore ſine offenſione manſiſſe, nullamque ibi ſuppurationem excitaſſe, deprehenſum eſt, donec paullatim ad loca ſubter cutem perductae, ibique et ſuppurationem et exulcerationem moventes, poſtremo tandem do corpore ejicerentur.

III. De Lue Secundaria.

Contagium Venereum corpus ubi penitus pervaſerit, multas ſuas vires amittere ſolet, ſeu cum humoribus corporis intime mixtum, magnopere diluatur, ſeu quacunque alia cauſa, incertum eſt. Hoc autem ſtatu ſecundario quas olim invadere aſſuevit partes, nunc non omnino infeſtat. De quo genere ſunt conglobatae

glandulae, quibus etſi ſummo ſitis corpore, ditionem excercet nullam; ubivis enim corpore, oriente ſecundario ulcere, hae non amplius intumeſcunt; quam rem in ulcuſculis iſtis videre eſt quae tam ſaepe et palatum et tonſillas foedant, quae tamen excipere nuſquam animadvertuntur bubones colli *. Sed hujus viri poſt corpus ingreſſum imminuta vis, à Hunteri eximii experimentis, dilucidius etiam demonſtrata. Pus enim de ſecundario ulcere ademptum communi ulceri, ſed ſine contagio, imponebatur. Pus idem, recenti vulneri immiſſum, innocuum prorſus evaſit: † quae experimenta, eodem prorſus eventu, ſat frequens repetebantur. Nonne haec venerei viri, poſtquam corpus intraverit, manſuetudo, quoddamodo cauſa ſit, cur inter humores ſine offenſione latitaret, et tot menſes tam frequenter elapſae ſint, ante ſigna aperta quam Luis Secundariae ediderit?

Minime tamen exiſtimandum eſt, hoc ſtatu amittere prorſus poteſtates ſuas venereum virus. Vim ſuam validiſſime ſtimulantem nunquam non reſervat. Hinc itaque de partium genere quod infeſtare ſolet, *eas quae ſenſu acutiore, ſemper primas afficit; deinde quae habetiore polleant. Os, palatum, tonſillae, cutis invaduntur prius; poſt haec perioſteum atque Oſſa* ‡. Neque haec, teſtante Huntero, uſquam fere perturbatur ſeries.

* Vid. Hunt. Treat. on Ven. Diſ. part 6. chap. 2.
† Ibid.
‡ Vid. Hunt. Treat. on Ven. Diſ. p. vi. ch. 1. Jut. 7.

Luis autem Secundariae quae oriantur ſigna, nulla propriae inflammationis praebebunt indicia. Eundem ſemper humorum concurſum parti ſpectare eſt, ut et effectus ejus, donec tandem ſuppuratione, exulcerationeque terminetur vitium. Herpes quoque Venerea, Tineaque capitis, cum unguium atque capillorum pernicie, a quavis alia materia ſtimulante, cutem et male habente, aeque ac a venereo viro, ortum ſuum traxiſſe, ſaepenumero obſervantur. Neque Siphylide vitiata oſſa aliquid novi afferre ſolent. Ea omnibus inflammationis ſtadiis pariter obnoxia eſſe, ac caeterae corporis partes, chirurgis univerſis notum. Quae oſſium autem a venereo viro oriantur mala, velet Nodi, Tophi, et Extoſtoſes, cum Suppuratione, exulceratione, carieque, ea a vitiis iiſdem, vel injuria externa adlata, vel quacunque alia concitatis cauſa, et contagio prorſus aliena, diverſum nihil exhibere queant.

Haec autem ſufficere videantur ad praecipua Siphylidis explicanda ſigna. Si vera ſint, humorum parti concurſum nimium, a ſtimulo venerei viri ortum, hujus morbi eſſe *Cauſam Proximam*, adjeciſſe fere ſupervacuum erit.

1. De Venerea tamen, ut inflamatione omnigena, loco contenta, haec non levis momenti, haud praetermittenda eſt obſervatio. Praeter vulgo accidentem inflammationem, in robore nimio vaſorum poſitam, et remediis debilitantibus occurrendam, aliud quoque reperiri ge-

nus, omnino hifce rebus contrarium. Haec enim et ex aucta vaforum debilitate nafcitur, et medicamentis roborantibus tollitur. Illam, diftinctionis caufa *Sthenicam* nominare liceat; hanc autem *Afthenicam*, cujus non raro exempla habemus, et in ulceribus quae occupaverint vetuftas longa, in illis pravi habitus hominibus orientibus, et ab injuriis gravibus parti adlatis, gangraenamque fpectantibus; vel in quibufcunque aliis cafibus, ubi, feu a ftimuli gravioris violentia, feu levioris longinquitate, feu partis aut corporis totius infirmitate, atque ad ftimulum fuftentandum invalidi, in magnam inciderint debilitatem loci cujufdam inflamata vafcula: haec enim omnia eodem revertuntur, et idem prorfus conftituitur ftatus. Ad illud vero pofterius genus, fere femper pertinere videtur Inflammatio Venerea. In Primario enim hujus morbi ftadio, ita violenter agit venerei puris ftimulus, ut vehementia fua confecta partis laborantis vafcula, cito in debilitatem caderent; dum in ftadio fecundario, ejufdem veneni etfi imbecillior facta vis, eundem tamen effectum praeftat, actionis fuae longinquitate, manfuetudinem novam quoddamodo penfante. Atque hinc itaque *Afthenici* generis, forfan nunquam non habenda eft, Inflammatio Venerea.

DE SIPHYLIDIS CURATIONE,

ATQUE DE

FACULTATE PROPRIA,

QUA IN HUNC

MORBUM POLLEAT.

ARGENTUM VIVUM.

PER Europam graſſante primum Venereo morbo, ut ſignorum novitate, ita dira quam edidit ſtrage, adeo territos fuiſſe medicos, ut eo laborantes viſere recuſarent, memoriae traditur. Paullatim autem, poſtquam a terrore recuperaſſent animos, iiſdem remediis tandem cum eo confligere caeptum eſſe, quibus aliis occurrere ſolerent morbis, vel iſta medendi methodo, quae tunc temporis Rationalis vocabatur. Hac autem cito ſpem ſuam fallente medendi via; quid agerent incerti, haeſiſſe iterum dicuntur, velut qui de aegris ſuis pene prorſus deſperarent *. A quibuſdam vero reputatum eſſe, tandem novi quadam morbi ſimilitudine perductis, cum aliis cutis vitiis, ut auxilium peterent ab argento vivo, quod in Lepra et E-

‡ Vid. Aſtruc. de Morb. Ven. L. 2. c. 6.

lephantia, caeteriſque ſimilibus ſummi corporis morbis, inter Arabes profuiſſe plurimum, jampridem comperiebatur. Neque quicquid ab illo expectarent, id fefellit medicamentum novum; ita enim praeter ſpem omnem feliciter ſubvenit, ut plures ope ejus cito ad ſanitatem perductos fuiſſe accepimus. Quod mirum tamen videatur, hujus ita proſperè adhibiti remedii, non per multos annos valuiſſe adminiſtrationem, ex ſcriptorum teſtimonio diſcitur. Minus experti enim fuiſſe commemorantur hujus ſaeculi medicinam facientes in vehementis adeo medicamenti viribus, ita ut illud multo largius quam ſat erat, adminiſtrare ſolerent: qua in re autem praecipue peccaſſe Empirici feruntur, qui tum ad Siphylidem ſanandam per Europam frequentiſſimi vagarentur, atque imperitia quorum adeo gravia, et aegrotantibus quidem funeſta mala oriri obſervabantur, ut in deſuetudinem repentinam deciderit hoc optimum remedium, neque per aliquot annos poſtea in medicinae uſum revocatum fuerit *. Eo enim exploſo, quaedam nova in ejus locum ſucceſſerunt medicamenta, quae in regionibus iſtis ſummam ferebantur attuliſſe opem, quibus morbus ipſe credebatur ortus. Horum praecipua erant Guaiacum † et Sarſaparilla, quorum in curan-

* Vid. Aſtruc. de Morb. Ven. L. 2. c. 7.

† Qui primus medicamentum hoc in medicinam duxiſſe fertur Hiſpanus fuit, Gonſalvus Ferrandus. Is dum Neapolis in obſidione militaret, ſiphylide correptus, atque fruſ-

da Siphylide ita increvit fama, ut per longum tempus his fere folis uterentur medici. Poft quae autem (namque non diu favorem retinebant, fed vice fua, antiquata, aliis cefferunt) multa alia quoque decurfu, qui inter hoc atque faeculum praefens interjacerint annorum, remedia, in eundem finem adhibita videre eft; quorum tamen quae unquam vere profuiffe adparent, ea fub his forfan comprehendi poffint generibus; *Argenti* fcilicet *Vivi*, atque *Plantarum* de *Acrium* et *Aromatorum* fpecie: quibus praeterea addere licet *Stibium Opiumque*.

DE ARGENTO VIVO.

Horum autem longe praecipuum eft Argentum vivum. Hujus enim in depellenda Siphylide efficaciam, medicorum omnium, per trecentos ferè annos experientia, fat lucide demonftravit. Etfi autem inter omnes de utilitate convenit, de propria fua virtute non eadem eft concordia. Qua enim facultate et in corpus agat, id magnopere difputatum eft; magis autem, qua fpeciali vi, in fiphylitica ita prae

tra in Italia curationem petitus, tandem in Occidentalem Indiam demigrare inftituit, ut ifta experiretur remedia quibus Indi ipfi fanabant morbum. Exhinc, poftquam ibi priftinam recuperaffet falutem in Europam reverfus, exercuit ipfe medicinam; atque novi medicamenti vendendo pro feptem fcutatis aureis fingulas libras, brevi tempore, ingentes dicitur comparaffe opes.

Vid. Freind. Hift. Med. p. 577.

caeteris medicamentis polleat mala: de quibus itaque rebus diverſas et multas opiniones ediderunt medici. Has autem opiniones enumeraſſe, nec hic locus eſt, nec ſi locus eſſet, operae pretium foret. Illis enim fere communia eſſe ea dicantur, quae de rationibus ſupra memoratis dicta fuerunt, iis nempe quibus freti auctores, ipſius morbi naturam exponere molirentur. Iſtarum namque rationum inſtar, opiniones illas, jam ſumma cum auctoritate in medium prolatas, jam exploſas penitus, decurſu annorum, videre eſt. Quibus autem, ut pro vero et ſtabilito fuit, ſiphylitica omnia in quodam corporis humorum vitio ſemper collocari mala: ſic illis, Argenti Vivi ſalutiferos effectus univerſos, nulli alii niſi actioni cuidam in eadem excercitatae fluida aſcribi potuiſſe, aequè certum ac compertum reputatum eſt. Ineunte demum praeſenti ſæculo quando Pathologiae Humoralis diſciplinas, quatenus hunc morbum attineant, exculta adeo oratione explicavit Boërhaavius, hanc quoque minime neglexit opinionem. Ab effectibus enim ſuper humores corporis ſolis, totas Argenti Vivi deducit vires, quas autem in gravitate propria et acrimonia poſuit: hiſce enim qualitatibus ad eoſdem humores et attenuandos et diſſolvendos ita valere contendit metallum hoc, ut hi de corpore facile excreerentur, et unà ſecum detraherent venereum virus. Sed potius erit audire ipſum praecipientem. " Cunctis rite perpenſis, ad-

" paret vera vis, qua ad expugnandum hoc ma-
" lum solus efficax Mercurius habetur: omnes
" humores corporis in ſubtilitatem aquae con-
" vertit, olei tenacitatem dividit, facit hinc ut
" evadant omnes adeo diſſoluti, ut ſpecie ſalivae,
" ſeri diarrhoici, urinae citae, vel ſudoris, ſponte
" de corpore eliminentur." Quia idem auctor exiſtimavit, a venereo viro facile corrumpi poſſe omnes corporis humores, medendi rationem, huic gravi malo apprime accomodatvm inſtituere, non oblitus eſt; mandavit enim ut *hi omnes, quocunque modo poſſint*, de corpore eluerentur. Quod magnum autem ad efficiendum, ut quando effectum fuiſſet dignoſcendum, tale reliquit lectoribus ſuis praeceptum:
" Rite non curatum malum, niſi palleſcat in-
" ſter mortui aeger, niſi emacietur prorſus, niſi
" alimentis inter curandum quam minime pin-
" guibus nutriatur, niſi tamdiu protrahatur
" ipſa curatio, donec *antiqui humores* omnino
" de corpore migraverint."—Dirae quidem voces et quas " horreſco referens!" Raro enim eſt, Pathologiam iſtam, quae per tot annorum ſeries peſſumdedit medicinam (quae nil in morbis praeter Humorum peccata reſpicere ſoleret) ut obſervare poſſimus, tam diros edentem effectus. Et diſciplinae quidem quam ita excoluit Boërhaavius dum elegantiam admiremur, plurima iſta quoque mala, a medendi rationibus tam peſtiferis neceſſario orientia quod tempus in ſcholis ejus valeret auctoritas, ploremus quo-

que necesse est. Illud autem cum magno humani generis fructu, a medicis tandem repertum est, sanari posse siphylidem sine detractionibus fluidorum. Quoniam tamen nullas fere medicamentorum vires agnoscerent medici, nisi illas quibus humores educerentur; et quod hujusmodi facultatem non amplius Argento vivo ascribere potuissent, hoc ignoto prorsus modo agere, et cum istis, quae *Specificorum* distinguuntur nomine religari opportere remediis, affirmabant. Adhuc tamen Boërhaavii Medendi Rationes, invitis animis, reliquisse videntur. Argentum enim vivum, inter Evacuantia Remedia etsi collocari debere negent, inter *Alterantia* autem illud procul dubio adnumerandum esse, sat acriter contendunt. Neque quisquam ante Cullenum veras hujus metalli vires rite perspexisse invenitur. Is enim Argentum Vivum medicamentorum generi cui certissime pertinet, restituit primus. Id namque inter *Stimulantia* posuit egregius vir, atque omnes, et in Siphylide, et in aliis morbis quas exhibet facultates, a solo ejus deducit stimulo.

Si argumentis illius quicquid adjiciendum esset, hisce quoque quae sequuntur confirmari posset opinio.

1. Alicui corporis loco applicato Argento Vivo, succedunt et partis rubor, et humorum concursus. Sic salivae movendae causa datum, omnes inflammationis gradus a rubore simplici ad gangraenam usque, concitasse, saepius ob-

ſervatum eſt *. Ita tamen orientia ulcera, ab iſtis ſumma cura diſtinguenda ſunt, quae morbo ipſo originem trahant. Idem quoque inguium glandulis admotum medicamen, effectus omnino ſimiles oſtendit. Illic enim majore quam ſat erat copia tranſmiſſum, ut in bubonibus ſanandis frequenter accidit, adeo vehementer agit, ut ſtimulo ſuo non raro cieantur ulcera, quae poſtea inſanabilia fere evadunt.

2. Majorem vim, velut ſtimulantia alia, in foeminas, quam in viros, idem excercet remedium.

3. Illos quoque homines vehementius afficit qui debiles ſint, et mali habitus. Hinc Podagri atque Scorbutici minus commode argenti vivi adminiſtrationem, parciſſimam quidem, patiuntur. Qui ſtrumis laborant, velut vulgo imbecilli, hujus quoque medicamenti, Huntero teſte, majorem ſemper impetum experiri ſolent.

4. Utriuſque ſexus infantes atque pueri, violentia hujus, aeque ac alicujus ſtimuli, moventur magis, quam aetate provectiores. Hinc ſi quando illis adminiſtretur remedium, maxima obſervatione opus erit.

Hiſce ſolis argumentis, quibus adjici multa poſſint, Argentum Vivum inter ſtimulantia remedia rectiſſime adnumerari, ac nulla vi niſi ſtimulante, in morbis prodeſſe, ſat lucide apparebit. Quo autem conceſſo, major ſubit difficultas. Rogari poteſt enim, ſi haec ita ſint, cur

* Vid. Graing. Mon. Siph.

non omnia alia ſtimulantia, ac argentum vivum, ſiphylidi aeque feliciter occurrerent; quod certe nemo ſanus adfirmabit. Neque hanc difficultatem ſolvit eximius Cullenus. Hinc itaque, argenti vivi in actione, aliquid proprii, vel ut loquuntur *Specifici*, ineſſe ſemper, omnibus fere medicis perſuaſum eſt. Inter quos Hunterus, etſi ſtimulum eſſe Argentum Vivum minime abneget, ſpecialis tamen generis eſſe, ſemper pro certo habet: atque ut omnem Inflammationem Veneream a Specifica cauſa oriundam eſſe tradidit, ita huic inflammationi argentum Vivum, non, niſi per quandem facultatem propriam occurrere poſſe, ſimili modo inſtituit. Supra autem ut mihi tentatum fuit, opinionem illius de natura morbi oppugnare, et Inflammationem Veneream oſtendere nullius momenti re ab Vulgari differre, ſed eandem ſibi Cauſam omnino vindicare Proximam; nunc quoque id mihi adgrediendum eſt, ut demonſtrare coner, non *Specificum Remedium* eſſe Argentum Vivum, ſed ut Stimulantia omnia alia eodem prorſus modo in corpus agere.

Quod autem ad Stimulantia in genere attinet, inter hoc medicamentorum genus, non levis quidem momenti intercedere differentiam, haud praetermittenda eſt obſervatio. Alia enim quando in ventriculum aſſumpta fuerint, vim ſuam ſtimulantem minime ad illum cohibent, ſed late per corpus edunt, atque per omnes etiam extremas partes, ſtatim diffundunt. Quod ita penitus et celeriter agant hujuſmodi remedia,

quorum exemplum vinum ſit, nuper haud abſurde *Stimulantia* nuncupata ſunt *Diffuſibilia*. Eorum autem ſtimulus etſi pro tempore ſat validus, non tamen perdurat. Poteſtatibus enim digerentibus perdomari ita et mutari ſolet, ut in ſanguifera tandem receptus vaſa, et priſtinam ſuam virtutem ammitteret, atque Diffuſibilium modo agere omnino deſineret.——Alia contra ejuſdem generis remedia, dum in ventriculum recipiantur, nec late corpus afficiunt, nec ullam fere niſi quam attigerint partem, incitare pollent. Etſi minus diffuſibilia, non tamen alteris quoque imbecilliora, putanda ſunt. Principio enim poteſtâtibus digerentibus nec ſolvendo nec diſtruendo gaudent, quo non modo, virtute intacta, in ſanguifera recipiantur vaſa, ſed eaſdem prorſus quibus inſtructae intraverent corpus vires, per totos eorum tractus, incolumes reſervent. Ad quod autem poſterius Stimulantium genus pertinere videntur et Argentum Vivum, et quaecunque medicamenta alia in ſananda ſiphylide efficacia reperientur. Tali enim principio gaudere Argentum Vivum, nulla abeſt evidentia. Si quando enim per os adminiſtretur metallum hoc, poſtquam per ſtomachum atque inteſtina tranſierit, poſtquam per omnia ſanguifera vaſa migraverit, denuo poſtquam per arteriarum minutiſſimarum ſurculos minutiſſimos pervaſerit, iiſdem prorſus viribus quibus ante ingreſſum corpus valeret, ut in ſaliva et cutis exhalatione videre eſt, dotatum illud nunquam non inve-

nimus. Etſi a caeteris tamen hac proprietate ſat quidem mira, Simulantibus differat, quatenus autem *Stimulus* ſuus reſpiciatur ſolus, quo omnis collocatur virtus, ejuſdem prorſus oſtenditur eſſe naturae. Ubicunque enim attigerit corpus, vaſorum et tonum et rubor auget, ipſa in contractiones validiores concitat; neque ulla in re, praeter anguſtiorem ſuam actionem a diffuſibilibus diſcrepat, propter quam autem nullas fere niſi quibus recte admotus fuerit partes, ſtimulare poteſt.

His itaque rite perpenſis rebus, magnum illud forſan exquiſitum, cur in curanda Siphylide ita prae ſtimulantibus caeteris polleat Argentum Vivum, facilius erit explicare. Supra enim memoratum fuit, omnem Inflammationem Veneream ſemper loco contentam, ſemper venerei puris ſtimulo concitatam eſſe: hunc autem adeo vehementer agere ſolere ſtimulum, ut violentia ejus partis laborantis confecta vaſcula, in laxitatem magnam et atoniam inciderent, ita quidem ut quae inde oriretur inflammatio ſit perpetuo *Aſthenici* generis. Si ad hujuſmodi curanda mala minus prodeſſent Diffuſibilia ſtimulantia, quid mirum? Horum enim remediorum per totum corpus late diſtribui ſolet et diſſipari vis, parum ergo ad quamlibet ſingulam partem, minimum tamen ad anguſtam adeo morbi ſedem, venerei ſcilicet ulceris, vel ulcuſculi potius inflammata vaſcula impertiri neceſſe eſt; et ſi quid autem, quale ſit, impertiatur, id, propter eorundem vaſcu-

lorum debilitatem, non multum poſſe afferre opis, putandum eſt. Quod idem in vulgarium ulcerum curatione videre eſt, quae ſi aeque parva ac venerea extent, nil fere accipere aſſuerunt adjumenti a remediis communibus. Hunc autem localis ſtimuli defectum large ſuppeditat Argentum Vivum. Qua nititur enim facultate, intactis viribus permeandi et concoctionis vias, et ſanguifera vaſa, tandem vaſcula ulceris venerei debilitata adit, minutiſſimos eorum pervagatur ramulos, atque per totos eorum tractus ubicunque latera attigerit ſtimulando, (ut in omni autem attigerit puncto neceſſe eſt) ita tonum atque robur augėt, at pars venerei viri prius confecta ſtimulo, ad ſanitatem demum reducatur. Quem autem ad medicamenti hujus effectum, altera quoque res non leviter conferre videtur. Aut faucibus enim aut ſummo corpore perpetuo ſita reperiuntur omnigena ſiphylitica mala, quibus etiam, prae caeteris, locis, ſeu quantitate largiore, ſeu efficaciore vi, nunquam non adferri ſolet Argentum Vivum.

Hae itaque omnes ſi ſimul conjunctae ſumantur res, nonne concludere licet, hujus remedii ſtimulum minime *Specificum* eſſe, ſed, quod prae caeteris Stimulantibus, tantum in Siphylide proſit, huic ſolae ejus Facultati aſcribi debere, *qua et concoctionis et ſanguinis circuitus effectus ſine mutatione tolerare poſſit, et ubi ſitus fuerit ipſe morbus, in illa tandem corporis loca, ſtimulum ſuum excercere integrum?*

Quae cetera Medicamenta in hoc morbo inter medicos utilia esse agnoscantur, haec ex Plantarum genere fere desumuntur, vel Acrium vel Aromatum. Quia conjuncta simul administrare mos est, major quaedam subest difficultas, in eorum virtutibus aestimandis. In plerisque tamen quale in Argento Vivo tale principium inesse, simili modo reperietur.

DE ACRIBUS.

Hujus generis Medicamenta stomachum atque quas attigerint partes sat valide stimulare solent, vix autem ullam possidere efficaciam, in loca corporis remota. Haec tamen quoque principio illo pollere quo per ventriculum et sanguifera vasa, intactis viribus, migrare possint, facillimum erit demonstratu. Nullum enim fere eorum est quod hujus rei non planissima praebebit indicia. Ita exempli causa, Scylla, aut Cepa, aut Allium, si quando in stomachum recipiantur, ut caetera hujus generis medicamenta, totius corporis gustu atque faetore suo ad secretiones omnes inquinandas, quam apta sunt, nemini ignotum est. Inter nostrates autem, nullum fere nisi Daphne Mezereon, ex hoc plantarum genere, administratum invenimus. Ea decocti forma adhiberi solet, quod plantae drach. ii. in aquae lb. iii. coquendo, donec ad lb. ii. reducatur latex, perficitur. Apud exteros tamen plures in usum veniunt. Septentrionali

enim in America, Lobeliae Siphyliticae radicis decotum, poſtquam ei Ranunculi abortivi Radicis paullulum adjectum fuiſſet, Venereo morbo implicitis, atque feliciſſimo cum eventu, datur. Quod duo homines fide digniſſimi nuper ita teſtati ſunt, ut Indi, medicamenti hujus, quam in Europa, Argenti Vivi adminiculo, noſtri, ad ſanitatem multo citius revocari dicantur *.

DE AROMATICIS.

Aromaticorum quae in Siphylide prodeſſe agnoſcantur praecipua ſunt Guaiacum, Saſſafras, Lignum Rhodium, Santalum album et Rubrum; quibus ſi addentur Sarſaparilla, Glycirrhiza, Mezereon, atque Stibium Crudum, fit celebris Decoctio Luſitanica. De quibus longe potentiſſimum eſt Guaiacum, cujus autem etſi adeo jactentur vires, revera tamen profuiſſe, eae non ſaepe invenientur. Licet enim, in regionibus terrae meridionalibus id ad Siphylidem profligandam ſatis efficax videatur, * attamen in ſeptentrionalibus hiſce, ad idem obeundum munus, vix ſolum ſufficit. Comperit enim experimentis ſuis Hunterus, hoc externe applicato medicamento ſanari poſſe ſecundarii generis ulcera; et internè dato, ſublevari certe

* Vid. Swed. Pract. ob. on Ven. Diſ. chap. 21.
† Vid. Swed. P. T. on Ven. Diſ. p. 258.

omnia Siphylidis ſigna; utraque tamen non ita penitus, ut nullus poſtea reditus extimeſceretur morbi ‡. Hinc itaque ad delendam prorſus ſiphylidem, quamvis impar evadat Guaiacum, ad ſiſtendum tamen ab ingraveſcendo malum, ſat illud ſemper valere, exiſtimatur Hunterus: haud levis quidem momenti res, ſi forte quae cauſa prohiberet, quod argento vivo ipſo minus commode uteremur.

Quod ad Sarſaparillam attinet, hanc nullo modo Siphylidi prodeſſe vel externè vel internè datam, inſtitutis de propoſito experimentis, idem Hunterus eruit *. Si quando caſu in ullo auxilium attuliſſe putaretur, id magis tribui oportere veriſimile eſt, tepidi potus ſimul ſumpti quantitati largae, quae ſummum corpus, Luis ſpecialem Secundariae ſedem, quoddammodo incitare nunquam deficit, quam cuinam ipſius radicis virtuti.

De Facultate autem qua in Venereum Morbum polleat hoc medicamentorum genus, major adeſt dubitatio. Haec enim ad Diffuſibilia ſtimulo ſuo quoddammodo appropinquare fatendum eſt. In calidis certe regionibus Aromata, ad ſiphylidem ſanandam, multo magis accommodata videntur, quam ſub Europae frigidiore coelo. In his enim regionibus, longe mitior, quam apud nos, evadere ſolet morbus, ita ut quae nunquam fere hic deſunt faucium

* Vid. Hunt. Treat. on Ven. Diſ. chap. 6. S. 14.
† Ibid.

ulcera, vix illic, omnino cognoſcerentur. Tale autem in hujuſmodi remediorum plurimis inesse principium, quale in Acribus et Argento vivo reperitur, quo ſcilicet concoctionis et ſanguinis circuitus viribus reſiſtere poſſint, non deſunt quae ſuadeant argumenta. Hoc enim in Roſae ſtillato oleo manifeſtum eſt, quod odorem ſuum incolumem retinet, poſtquam et ſtomachum tranſgreſſum, et ſanguifera vaſa. Idem aeque perſpicuum eſt in Balſamis et Terebinthinis, quae efficaciam ſuam in Gonorrhoea ſecundaria ſupprimenda, a principio hujuſmodi pro certo derivant. In urina enim, ſi quando adminiſtrentur, et ſapor eorum, et ſpecialis ſemper deprehendi poſſit odor; luculento indicio, ea per corpus immutata tranſiſſe, et virtutem ſuam in ſedem ipſius morbi recte exercuiſſe, integram. Nec Guaiacum quidem, hujuſmodi remediorum longe validiſſimum, hoc modo agere, multum a veriſimilitudine abhorret *. Adminiſtratum enim ſemper illud ſequitur, et cutis inſuetus calor, et exhalatio larga.

* Tranſire per ſecretiones corporis omnes ſolere medicamentum hoc, illo qui ſequitur caſu ſat manifeſto apparebit. Mulier quae nutrix lacte ſuo infantem alebat, Guaiaco forte uſa eſt, ad Morbum Articularem levandum. Quoties medicamentum aſſumebat, alvi fluxu corripiebatur infans, quo autem relicto, infans quoque morbo liberatus eſt. Exhinc perſpicuum eſt, mammae mulieris glandulas immutatum intraſſe Guaiacum, atque infantis ad inteſtina unà cum lacte perlatum, ibi vim ſuam purgatricem exercuiſſe.

DE STIBIO.

In Siphylide Stibium prodeſſe, atque in Decocto Luſitanico haud inutilem partem conficere, apud omnes convenit. Idem ſi cum Argento Vivo comminuatur, ut in Pilulis Aethioſpicis, et Aethiope minerali accidit, in cutis morbos, qui hoc metallo ſolo inſanabiles reſtitiſſent, valuiſſe invenitur. Hoc autem principium immutabile poſſidere, cui quam creet de cute aſcribi debeat exhalatio, nec improbabile, nec ſaltem conjecturare nefas eſt. Nulla tamen experimenta novi, de materia exhalante inſtituta, quibus haec res jam adhuc evicta fuerit.

DE OPIO.

Multum quoque in curanda Siphylide nuper celebratur opium, etſi qua veritate, non dicere auſim, adeo de illo contraria extant teſtimonia. Ad hunc autem depellendum morbum illud non adeo accommodatum eſſe, magis veriſimile mihi videtur. Luis enim venereae prorſus localia ſunt univerſa ſigna, dum hujus medicamenti, utpote Stimulantium diffuſibilium principis, communes omnino reperiuntur effectus. Perutile certe evadere poſſit ad quaedam ſublevanda ſigna, atque aegrotantium ſuſtentandas vires.

His, de praecipuis remediis quorum in Siphylide inclaruit usus, memoratis rebus, proximum est, ut de signorum ejus variorum curatione, paullo strictius dicam. Atque hic observasse pene supervacuum erit, in hac re omnibus aliis semper anteponendum esse Argentum Vivum. Quod autem ad istam quaestionem attinet, quae maxime prosint hujus remedii Compositiones, de ea quidem re, no nomnino inter medicos constat. Eae mihi certe optimae videntur, quibus et in particulas minutissimas dividatur metallum ipsum, et quam integerrime conservetur simul metallica sua natura. Sub hoc autem comprehenduntur genere, Pilulae vulgo dictae Mercuriales, unguentum Mercuriale, Plenckii Mercurius Gummosus, Mercur. Precipit Niger, vel Celebris Black Cinereus; et ante omnes Mercur. Calcin. per se; quae caeteris universis longe anteferendae sunt. Salinae quae nominentur Compositiones, eo quod naturae metallicae minus retinent, externe melius, quam interne, dantur. Quod ad quantitatem spectet qua administrari debebit Argentum Vivum, id a statu corporis aegri solummodo pendet. Semper autem a quantitate parva incipere debemus, quae deinde paulatim augenda est, donec a gustu in ore percepto, spiritusque faetore, vasis inesse remedium, omnino absit dubitatio. Tum protinus sistendum est; his enim perspectis notis, jam omnes quascunque possidet vires exercere Argentum Vivum,

ſcire licet.——Subinde accidit, quando de his compoſitionibus quaedam adminiſtratae fuerint, ut concitentur vel tormina vel alvi fluxus, praeſertim autem, ſi detur vel Calomelas vel Mercurius Calcinatus. Haec autem facile praecaveantur mala, ſi quicquid ſimul adhibeatur, quod ſtomachum et inteſtina roboret: atque in hunc finem optime reſpondet opium, vel ſtillata Aromatum olea, quae una cum Argento vivo aſſumi debebunt.

DE ULCUSCULI CURATIONE.

Simul ac ſpectetur ulcuſculum venereum, ſi non admodum late ſerpſerit, protinus adurante aliquo extirpandum eſt. Ad hoc autem efficiendum, optimum eſt Cauſticum quod Lunare dicitur, quo bis vel ſemel die tangendum eſt, donec cruſta formetur, et pars viro infecta prorſus tandem deleatur. Quo facto nihil aliud requiritur, niſi ut paululum argenti vivi adminiſtretur, ad omne melius prohibendum periculum futuri morbi. Sin autem latiora evaſerint ulcuſcula, ita ut minus reſpondeat hoc curationis genus, tum alia quoque adhibenda. Aliquo de Argenti vivi ſalibus, bene cum aqua diluto, veluti corros. ſublim. eluere illa debet aeger; vel ſi hebetiorem indolem prae ſe ferrent, praecipitato rubro leviter inſpergere. Si haec minus valeant, aqua Vitriol. Camphor. perfundantur, vel potius Aurichalci inſpergantur

pulvere, qui testante Schwediaur, localium omnium in ulcuscula efficacissimum longe est remedium. Quod ad interna medicamenta spectet, nullo fere opus erit nisi Argento vivo. Si quando urgeat Phlegmon aut Erysipelas, illi, sanguinis detractione, vel ex parte laborante, vel incisa vena; huic autem, quia gangraenam minitet, vino et peruviano cortice occurrendum est.

Phymosis et Paraphymosis ulcuscula stipantes nil proprii requirunt, eodem namque prorsus modo curentur, ac si ulla alia causa fuissent orta. Neque quae superveniant ulcusculis vitia, speciale aliquid desiderant. Ad praeputium attenuandum, quando justo crassius evaserit, Unguentum mercuriale fortiss, atque per partem ipsam transmitti scintillam electricam, Hunterus imperat.—Verrucae scalpello aut caustico destruantur, vel quod minus incommodi affert, Sabinae pulvere. Si unquam ad carcinoma spectarent ulcuscula, sine mora excidenda.

DE BUBONIS VENEREI CURATIONE.

Bubone autem ulcuscula excipiente, eum quam celerrime discutiendum esse, inter scriptores omnes recentiores convenit. Ad quod efficiendum, unguento mercuriali cutem perficare, cursu quo tendant absorbentia vascula, optimum est; ita sit enim ut cito et recte applice-

tur medicamentum partibus morbofis ipfis; atque unguenti hujus, de axungiae et Argenti vivi portione aequali compofiti, drach. i. unaquaque die illiviffe, plerumque fere fat erit. Feminibus interioribus, inferiori abdomini, vel genitalibus ipfis, prout res poftulet, inungendum. Si bubonem comitentur Phlegmon aut Eryfipelas, eandem recipiunt curationem, ac cum ulcufculis superveniant. In fuperiore autem cafu, fcilicet phlegmone etiam graviffime urgente, nihilominus ut continuetur argentum vivum fuadet Hunterus eximius, cui autem medendi rationi nec ut opinor, fine caufa adverfatur Schwediaur. Si detur enim ftimulum effe medicamentum hoc, quod vix forfan negari poteft, ut inflammationem jam fatis gravem, id non graviorem redderet, quommodo exiftimandum eft? Id certe concludere licet, vel argentum vivum, vel fanguinis detractionem, quae remedia prorfus contraria funt, vel unum vel alterum, minus ad hujufmodi cafum conferre. Hujus ergo metalli ufum per tempus aliquod intermittere, donec conquieverit paullulum inflammatio, utilius forte videbitur.——Si quando utraque inguina occupaverint bubones, fuppuraffe eos prohibere vix fere poffibile evadit; ad hoc enim praecavendum, tantum argenti vivi requiritur, quantum nullius pene aegri vires fuftinere poffint. Poftquam fuppuraffent autem bubones, velut abfceffus alii tractandi funt, eo tamen excepto, ut fcalpello non aperirentur, fed fibi ip-

fis fui effufio relinqueretur puris. Ad futuram prohibendam luem, pro virili fimul adminiftrandum eft argentum vivum. His enim rite obfervatis rebus, facile plerumque fanantur bubones. Contra autem fi quos vetuftas longa occupaverit, fi fcalpello olim incifi, atque per longum tempus argento vivo curati fuerint, tum difficillime ad fanitatem perducuntur. Iifdem tamen prorfus ftimulis adgrediendi funt, qui in ulceribus veteribus non venerei generis, efficaces reperiantur. Atque eidem rei magnopere quoque profint lignorum decocta.

DE LUIS SECUNDARIAE CURATIONE.

Facile plerumque fanantur faucium atque palati ulcera, quia ad illos prae caeteris partes argentum vivum, vel majore vi, vel largiore copia, adferri folet. Praeter remedii hujus adminiftrationem autem, adftringentibus quoque lenibus gargarizare prodeft, velut peruviani corticis decocto. His tamen impletis ulceribus non protinus fiftendum, nec morbus ipfe pro extincto habendus eft. Per menfis faltem fpatium continuare debebimus argentum vivum, eo enim neglecto, quadam alia corporis parte, fiphylidem poftea erupturam effe, expectandum.

In Maculas, aliaque cutis vitia, ut et inci-

pientia ossium mala, optimum remedium est frequentissime in balneum calidum descendere. Hoc enim arcanum videtur, quo, adjuvante insuper calidiore coelo, in Continente medicinam facientes nixi, venereis istis adeo feliciter occurrere callent affectibus, qui hac in insula, medicamentorum viribus resistere prorsus inveniuntur. Quò efficaciora redderentur balnea, addendum est furfuris decoctum, atque Sublim. Corros. Semun. aquae duobus utrisque congiis. Idem quoque sal interne datum, in hujusmodi cutis vitia magnopere prodesse observatur; et hic fere unicus casus est, de Argenti Vivi salibus, quo ullum internè administrari debebit.

Nodos atque Tophos a siphylide oriundos, quod ad causam suam attinet nullo modo variasse, ab iis qui alias concitentur, memoravi supra; quod ad medendi rationem spectet, eosdem minime differre, nunc quoque observandum est. Hanc enim rem luculenter commonstravit celeberrimus Russel, qui in ossium, quae vulgo accidunt, inflammationibus, argentum vivum externè atque internè datum, ut et mezerei decocta, semper aeque prodesse invenit, ac in affectibus earundem partium vere siphyliticis; quod idem combrobavit medicorum aliorum experientia. Hebetioris generis ut perpetuo inveniatur siphylitica ossium inflammatio, ad illam depellendam locales stimulos validissimos, epispastica veluti ac emplastra calida, Hunterus im-

perat; quae ſi minus valuerint, tum partes ſuper oſſa vitiata altè incidendas eſſe, idem praecipit.

Quando a ſiphylide indureſcat aut exaſperetur ſummi corporis caro, eadem fere proſunt ac in oſſium inflammationibus. Si Tubercula orirentur, quatenus ſua ſpectetur cauſa, nil proprii requirunt.

Ophthalmia Venerea, praeter adhibitum argentum vivum, eodem modo curatur, quo oculorum inflammationes quae aliis ex cauſis oriuntur: quod idem de Surditate Venerea obſervari poteſt.

His de Venereorum morborum curatione ſpeciatim dictis, hoc commune de omnibus praeceptum, addidiſſe haud alienum erit: quo magis uteretur, ſemper eo debilius agere Argentum Vivum, et ad depellendum morbum, ineptius perpetuo evadere; hinc igitur, illo per longinquum tempus ſine fructu adminiſtrato, conferre maxime, vel ut compoſitio prius adhibita pro alia mutaretur, vel ad caetera ut confugiatur remedia, quae jam nota fuerint profuiſſe morbo.

QUOMMODO AEGER CONTINENDUS EST DUM ADMINISTRETUR ARGENTUM VIVUM.

Remedium hoc, ſtimulantia velut omnia, in imbecillos quam in robuſtos ſemper majore impetu adferri ſolet: etſi adminiſtratione enim ejus parvum incommodi patiantur validi, ab infirmis tamen, multo magis exſtimeſcendum eſt. Ad haec igitur praecavenda, quae aliter orirentur mala, ut vires aegri rite ſuſtineantur, ſumma obſervatione opus erit. Quam ad rem autem confert maximè externus calor, qui ut ſtimulorum omnium potentiſſimus, ita in ſummum corpus directè agit; et ſedem ipſius morbi, et locum qua remedium ipſum vehementius concurrere ſolet. Hinc itaque in conclavi cui frigus arceatur, continendus aeger, et induſiis laneis amiciri debet. Neque tamen foris progredi, modo ſinat temperatius coelum, prohibendus eſt; nil enim, quod notum omnibus, ad roborandum corpus magis pertinet, quam exercitationes ſub dio factae. Cibum autem quem idem capiat, cum quam maximè alentis generis eſſe, praeterea confert; neque quicquid vetat, ne aegrotanti ſimul modico indulgeatur vino. Quae itaque ſi rite peragantur res, omnia proſperè ceſſabunt, atque nihil majus ab argento vivo periculi ſuberit, quam ab ullo alio adminiſtrato ſtimulo.——Aliquando tamen contrario

prorſus neceſſaria eveniunt. Interdum enim ita validi reperiuntur homines, ut niſi quoddammodo fractae fuerint eorum vires, illi, nihil commodi ex medicamento hoc, ne effectus quidem, experirentur. Cujus rei, praeceptor olim meus, atque mihi ſemper honorandus Illuſt. IRVINE *, de quoddam aegro ſuo, exemplum unum referre ſolebat. Homo validiſſimus, qui ſiphylide laborabat, dum uſitatos cibos, atque exercitationem ſolitam ſibi permitteret, argento vivo, per longum tempus incaſſum uſus eſt. Suadente tandem medico, ut domi ſedulo ſeſe teneat, atque tenuiori victu, utpote de lacte praecipue confecto, ſeſe reſtringat, infirmus adeo, et ad medicamentum recipiendum evaſit aptus, ut debellato morbo, priſtinam cito poſt recuperaverit ſalutem.

* In prael. de Mat. Med. hab.

FINIS.

DISSERTATIO MEDICA,
INAUGURALIS,
DE
VARIOLA.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S.S.T.P

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

JACOBUS MACKNIGHT,

BRITANNUS.

Nunc ego te affectus omnes et signa docebo
Contagis miserae.————
Forte etenim nostros olim legisse nepotes,
Et signa, et faciem pestis novisse juvabit.
Namque iterum quum fata dabunt labentibus annis
Tempus erit, quum nocte atra sopita jacebit
Interitu data: Mox iterum post secula longa
Illa eadem exsurget, coelumque aurasque revisat,
Atque iterum ventura illam mirabitur aetas. FRACAST.

Prid. Id. Junii, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,
Academiae Typographos.

M,DCC,LXXVII.

Viro eximio

JACOBO GREGORY, M. D.

Inſtitutionum Medicinae,

In Academia Edinenſi, digniſſimo Profeſſori,

Ob conſilia et amicitiam;

Nec non,

Viro optimo

THOMÆ HAMILTON,

Anatomiae et Botaniae,

In Academia Glaſguenſi, Profeſſori,

Propter benevolentiam et urbanitatem,

Hoc opuſculum,

Animi grati teſtimonium,

Sacrum voluit

A U C T O R.

DISSERTATIO MEDICA,

INAUGURALIS,

DE

VARIOLA.

DEFINITIO.

SYNOCHA contagiosa cum vomitu, et ex epigastrio presso dolore.

Tertio die incipit, et quinto finitur eruptio papularum phlegmonodearum, quae spatio octo dierum in suppurationem, et in crustas demum abeunt, saepe cicatrices depressas, sive foveolas, in cute relinquentes.

HISTORIA MORBI.

VARIOLA BENIGNA.

Hujus morbi adventus interdum per paucos dies, languore, lassitudine, et ad sudan-

dum proclivitate, annunciatur. Ab ipſo impetu, algor calorque invicem ſuccedunt; ac progreſſu horror, praecipue circa veſperem, invadit, per quaſdam horas manens, et in cutis ardentiam, capitis dolorem, et ſitem abiens; ſaepiuſque nauſea, vomitus, lumbago, et ex epigaſtrio preſſo dolor, ea comitantur. Symptomata noctu ſaevius urgent; mane autem ex ſudore leniuntur; nihilominus quidem febris aliquid cum languore multo et hebitudine manet.

Die ſecundo a morbi inſultu, omnia ſupra dicta ſymptomata violentius veſpere redeunt, cum anxietate, pervigilio, et interdum delirio. Exacerbationes remiſſioneſque ſaepe ſe bis die oſtendunt. Nonnunquam vero periodi regulares omnino abſunt.

Die tertio, cum ſudatione univerſa, puſtulae quaedam erumpunt. Eodemque fere tempore, ſymptomata levantur, atque, morbo mitiſſimo, fere omnino evaneſcunt. Interdum, adveniente eruptione, infantes ſternutatione et convulſionibus afficiuntur. Febris veſpere rurſus parum cietur, atque pari

modo,

modo, adveniente die, et pustulis erumpentibus, remittit. Talis exacerbatio vespere iterum redit; die vero quinto, novissimis fere erumpentibus suum cursum febris explevit.

Pustulae, quantum licuit observare, eodem fere tempore in facie, et in partibus artuum carnosis, comparuere, posteaque in ipso corporis trunco.

Pustulae, quum se primum ostendunt, maculae sunt exiguae et rubrae, neque cuti eminentiores, at brevi visui prominentes, atque tactui et firmae et acuminatae fiunt. Hoc maxime hunc morbum a rubeolis distinguit, quae quidem, vix visui prominentes, levissimo tactu, non cutem altius premendo, percipiantur.

Pustulae indies conicae crescunt, atque circa diem eruptionis sextum magnitudinem summam attingunt; harum saepe quaedam magnitudine pisi, vel etiam grandiores, sunt. Faciei pustulae crebriores et minutiores sunt, et plerumque, a pectore ad corporis extremitates, et numero et magnitudine augescunt.

Ad diem quartum, pustulae coloris subrubri sunt; tum in summis earum albida

puncta

puncta apparere incipiunt, augeſcentia paulatim ad diem ſextum; tunc ex toto ſubalbidae fiunt, cum rubris baſibus latis, adeo ut, ſi plures ſint, interſtitia fere aeque rubeſcant. Haec primo in facie, deinde in corpore toto, apparent. Poſtea interſtitia minus rubent, atque puſtulae paulatim flaveſcunt, donec in cruſtas abeunt. Humor puſtularum eſt primo ſeroſus, poſtea autem puris veri ſpeciem induit.

Quum puſtulae non admodum paucae ſunt, cutis tenſio ac tumoris faciei aliquid earum ſuppurationem ſemper comitantur. Faciei tumor, morbo benigno, non ante diem quintum apparet, at interdum adeo augeſcit, ut palpebrarum tumore oculi prorſus claudantur; idque citra ullas puſtulas in palpebris ſaepius accidit. Ubi morbus admodum vehemens eſt, oculi, praeſertim in infantibus, ab ipſo eruptionis initio, clauduntur. Tumorem vero faciei et cervicis inſignem, faucium inflammatio, et difficultas deglutiendi, ſemper comitantur; haec vero ſymptomata, niſi morbus vehementior ſit, raro moleſta ſunt.

Febris,

Febris, ut ſupra diximus, morbo benigno, et eruptione finita, prorſus deſinit; et quum puſtulae pauciſſimae ſunt, in ſuppurationem et in cruſtas abeunt, ſine ulla moleſtia, aut ullo febris ſymptomate; hoc tamen raro accidit. Quum puſtulae paulo crebriores ſunt, febris aliquid earum ſuppurationem ſemper comitatur, et praeſertim quidem magna pulſuum frequentia, qualis in alio morbo lethalis exiſtimanda eſſet, etſi in hoc minime meteunda ſit. Circa morbi criſin, calor, ſitis, dolor, anxietaſque aegrotantem vexant, atque ſaepe jactationem et pervigilium inducunt. Haec vero ſymptomata, cum faciei tumor ſubſidit, et puſtulae areſcunt, omnino abeunt.

Puſtularum ſuppuratio plerumque finitur circa diem ſeptimum; die poſtero flaccidae fiunt. Quod fit puris exudatione per cuticulam; et id, uti cera eſſet inſperſa, in faciem concreſcit; at in caeteris partibus corporis linteis abſtergitur. Haec exudatio pergit, donec in cruſtas abeunt. In adultorum extremitatibus, ubi firmior eſt epidermis, lentius procedit; nam decimo octavo puſtulas

die

die pure expletas, novaque cuticula obductas, mihi incidere licuit.

Cruſtae variolae benignae paucis diebus decidunt, atque cicatrices nullas in cute relinquunt. At, morbo violentiore, diutius adhaerent, et, iis decidentibus, rubra tubercula manent, quae quaſi ſquamulae albae decidunt, donec foveolae, ſive cicatrices cavae, per vitam manentes, in facie maxime fiunt.

VARIOLA MALIGNA.

Variola maligna per ſua ſtadia celerius quam benigna, et cum ſymptomatibus ferocioribus, decurrit; febris ante eruptionem ſaevius urget, cum perpetuo, praeſertim in adultis, vomitu, quandoque delirio inflammationeque faucium.

Die plerumque ſecundo tertioque interdum a morbi inſultu eruptio incipit, citoque progreditur ſine levamine ſymptomatum. Quo citius eruptio incipit, eo fere vehementior eſt morbus. Puſtulae fere diſcretae erumpunt; ſecundum vero numerum earum,

earum, progrediente ſuppuratione, plus minuſve ſaepe cohaerent. Id ſaepe in facie fit, quum in caeteris partibus corporis omnino diſcretae apparent, attamen frequenter confertae erumpentes ex parte cohaerent. At, ſi puſtulae creberrimae ſunt, in corpore toto cohaerent, paſſimque in veſiculas ſaepe confluunt. Atque eruptio, maligniſſimo morbo, ut inflammatio eryſipelatoſa, citra puſtulas diſcretas provenit; id ſaepius in facie, raro in corpore toto, contingit. Puſtulae frequenter numeroſae in ore ſe uſque ad fauces oſtendunt.

Symptomata poſt eruptionem, praeter vomitum, omnia manent. Exacerbationes in toto morbi decurſu veſpere adſunt.

In morbi progreſſu, ſymptomata febrilia ingraveſcunt, atque cervix et facies immodice tument, cum inflammatione faucium, difficultate deglutiendi, et in adultis cum ptyaliſmo.

Facies, maligniſſimo morbo, ab ipſo eruptionis initio tumeſcit, ibique in progreſſu puſtulae fere cohaerentes membranaceae fiunt, dein ſquamulis albis ſcabroſae, tum demum

mum circa diem ſeptimum ſubnigreſcentes areſcunt.

Inflammatio foeda faucium intumeſcentiam graviorem faciei cervicisque ſemper coinitatur, quae graviſſima eſt, prout ſuffocationem minans, et aliquando deglutitionem prorſus impedit.

Quum faucium inflammatio citius invadit ac gravior fit, in iis qui plus octo annis ſunt nati, eam ſalivatio copioſa ſemper comitatur. Quae moleſtiae eſt aegrotanti, quoniam indole ejus acri ſaepe os fauceſque excoriantur. Circa criſin, viſcoſa tenaxque fit, ut difficilli-me, neque abſque periculo ſuffocandi, excreatur, et, ſubſidente faciei tumore, omnino decedit. Infantibus rariſſime adeſt, qui quidem, in ejus loco, dicuntur diarrhoeam habere.

Suppuratione procedente, puſtulae planae et flaccidae fiunt, ſaepe cum acuminibus cavatis in quibus nigra puncta videntur. Humor in iis contentus eſt modo tranſparens, modo aliquantulo ſanguinis tinctus; hinc tranſlucidi, rubri, lividi aut nigreſcentis

coloris

coloris puſtulae fiunt. Hoc, quoniam ex ſanguinis diſſolutione oritur, plerumque lethale evadit. Haec ſymptomata maligna, puſtulis haud numeroſis et ubicunque diſcretis, ſe ſaepe oſtendunt, tametſi plus minuſve fere confertae apparent.

Symptomata anomala, varia permagnum periculum indicantia, in ſtadiis morbi variis ſaepe invadunt, ut dolores abdominis colicam mentientes, dyſuria, iſchuria, urinae et dejectiones ſanguinolentae, petechiae in puſtularum interſtitiis, veſiculae ſero expletae, interdum rubri, lividi, aut ſubnigri coloris. Circa criſin, interdum pruritus intolerabilis aegrotum urgens ad cuticulam evellendam, partibus excoriatis gangraenoſis.

Eodem tempore quo facies areſcit, criſi favente, intumeſcentia ejus ſubſidit, manus, et poſtea pedes intumeſcunt; puſtulae, in caeteris partibus corporis, ubicunque diſcretae ſunt, prominent, ac pure explentur; ſymptomata quoque febrilia levantur. Frequenter tamen, eheu, nimis frequenter! noſtris auxiliis fruſtratis, dum facies ſubſidet,

febris augeſcit, ſuperficies corporis ſe tota contrahit, puſtulae flaccidae vel etiam inanes fiunt, ſpiritus foetidus, lingua arida et nigra, cum pervigilio, anxietate, jactatione perpetua, atque delirio, ac demum ſuffocatio aut coma ſcenam claudit.

Morbo benigno, tumoreque faciei minimo, extremitatum intumeſcentia poſt criſin vix diſcerni poteſt; morbo vero vehementiſſimo, tumor praecipue manuum admodum notabilis fit; et, ſi aeger rite convaleſcit, paucos dies manet, et paulatim puſtulis ſaneſcentibus abit: Si vero ſupervenit hectica, protinus evaneſcit. Intumeſcentiam iſtam quidam ex puſtularum inflammatione in his partibus oriri exiſtimaverunt, quod mihi equidem non veriſimile videtur; quoniam maturantur prius et areſcunt, quam ad ſummum intumeſcentia attigit. Oedema quoddam, aegroto convaleſcenti interdum pedes taloſque infeſtans, evenit; quod vero plerumque ſua ſponte abit, et auxilio medici minime eget.

De-

Deficcatio pustularum, morbo benigno, primo in facie, deinde in ipso corporis trunco, tum demum in extremitatibus, paulatim ac lente per dies quosdam procedit. Sed, morbo maligno, celerius progrediens fere uno die perficitur. Hoc potissimum ex humore pertenui cuticulam promptius transeunte oriri videtur; forsitan quoque in sanguinem pars ejus absorptione refertur; namque interdum paulo ante obitum pustulae, sine signis exudationis certis, penitus inanescunt. Haud absimile est hanc absorptionem, inflammationem, caeteraque symptomata graviora circa crisin morbi accedentia, augere.

In variola maligna, pustulae sanationem aegre recipiunt, atque haud raro ulcera foeda infra crustas interdum nigrescentia fiunt, cum hectica, dyspnoea, ac diarrhoea, quae corpus et vires consumunt, atque mihi quidem non minus periculosae, quam ipsa morbi crisis, videntur.

Periodus hecticae, quatenus observare licuit, regularis non est. Post diem decimum incipit, modo paucis diebus, modo non nisi

post

post decem terminatur. Hectica ex sanie in sanguinem absorpta oriri videtur, quia, desinente febre suppuratoria, incipit, neque, nisi pustulae sint ulceratae, invadit. Interdum erysipelas gangraenosum evenit; praecipue pueris, atque cito mortiferum fit.

Dies eruptionis octavus plerumque criticus est; tum symptomata aut levantur, ac aeger curationem recipit, vel ingravescunt et aegrotum necant. Dies nonus et decimus maxime periculosi sunt; interdum tamen morbus adeo vehemens est, ut non post eruptionem, saepeque non ultra diem sextum, aeger supersit. Dies hecticae omnes, quantum vidi, a decimo quarto ad vigesimum, ab eruptionis initio, aeque critici sunt.

Divisio variolae in malignam, et benignam, quam in discretam et confluentem, multo praestat; quia symptomata malignissima, pustulis prorsus discretis, frequenter occurrunt. In benignae historia operam dedi, ut ea symptomata enumerarentur, quae ad morbum mitissimum pertinent; denique, casus omnes comprehendere conatus sum, quibus,

quibus, eruptione finita, febris omnino desinit, et pustulae in veram suppurationem abeunt. Malignae historia, contra, potissimum enumeratio est symptomatum violentium et anomalorum, quae non proprie ad morbum pertinent; et casus omnes comprehendens, quibus febris aliquid post eruptionem nunquam deest, atque pustulae, sive discretae sive confluentes, in suppurationem veram non tendunt. Has inter divisiones nullam limitem ponere possumus. Quippe nimirum febris et alia symptomata maligna in ullo gradu, a violentissimo ad minimum perceptibilem, existere possunt. Et quidem, secundum numerum et gradum eorum, periculum est semper pendendum.

METHODUS MEDENDI.

Variola benigna vix ulla medela eget, solummodo aëre frigido puroque frui, et cibo animali, potu spirituoso, cardiacisque stimulantibus, abstinere oportet. Observationes sequentes praecipue ad malignam proposui, cui

cui auxilium medici peritiſſimi ſaepe fruſtra adhibetur.

Inter omnes convenit, quod variola periodum temporis quandam deſiderat, quae arte minime afficitur. Quocirca, in hoc morbo, eſt medici iri obviam ſymptomatis malignis, et morbum, quantum fieri poteſt, levare.

Qui obſervationes ſuas de morbis memoriae prodere velit, caute eorum ſtadia notare debet, quae ullam mutationem in methodo tractandi requirunt. Hunc morbum, cum hoc ſcopo, in tria ſtadia deduxi.

I. Ab morbi inſultu ad diem quartum ab eruptionis initio.

II. A die eruptionis quarto ad morbi criſin.

III. A morbi criſi ad finem.

STADIUM I.

Conandum eſt, in hoc ſtadio, ſumma ope febrem levare, ut eruptio non ante diem tertium proveniat, utque, procedente eruptione, febris levetur, atque finita, prorſus deſinat, aëris frigidi, diluentium, balnei, clyſmatum, venaeſectionis, et emeticorum uſu.

Ut

Ut aëre frigido et puro in omni febre aegrotus fruatur, omnino necesse est, atque praxis hodierna hoc quam maxime in variola prodesse indicare videtur. In spatioso cubiculo procul dubio quidem e lecto multum sedere utilissimum est; neque, ex meis observationibus, efficacius esse liquet sub dio spatiari, etsi, in tempestate gelida et nivosa equidem, id nonnunquam praecepi. Interdum vero aeger e lecto surgere non potest, quin statim vomitu corripiatur, vel animi deliquium patiatur; tum quidem oportet leviter tectus decumbat, dum simul cavetur, ut aër in cubiculo subinde mutetur, et omnis calor externus sedulo praecaveatur. Denique e lecto, vel in spatioso cubiculo, vel sub dio, quantum ferri potest, manere, febrem mitigat, eruptionem moratur, forsitan quoque numerum pustularum minuit.

Cibo animali liquoribusque spirituosis, in stadiis omnibus morbi, abstinendum est. Cardiaca stimulantia quoque, vel volatilis vel aromatici generis, evitanda sunt. Cibum ex farinaceis et lacte, potum ex aquosis, vel aqua

aqua pura, dare oportet. Utpote in hoc morbo, quamplurimum potûs ſumere debet, qui gratiores aegrotanti ſunt dandi. Potus frigidus in hoc ſtadio commode adhibetur; at, ſuppuratione progrediente, ore ac faucibus excoriatis, tepido uti oportet.

Fovere extremitates, in puerisque etiam totum corpus, aqua tepida, febrem lenit, et ſomnum inducit. In caſibus gravioribus frequenter, praeſertim circa veſperem, repetendum eſt. Lavatio cutem emollit, et, ſi extremitatibus tantum admota eſt, circulationem facilem aequalemque in tota ſuperficie corporis citat; et procul dubio quoque ſanguinem abſorptione diluit. In gradibus et ſtadiis morbi omnibus non alienum eſt. Quo violentior morbus, eo magis neceſſe eſt. Si vero ſitum erectum aegrotans ferre non poteſt, fotus in lecto eſt adhibendus.

Clyſmata emollientia, in ſtadiis morbi omnibus, aptiſſima ſunt ad alvum ducendam. In hoc ſtadio, ſymptomatis urgentibus, ſecunda vel tertia quaque hora, donec ſymptomata levata fuerint, repetenda ſunt. Hic

aqua

aqua pura, vel lacte commixta, utenda eſt. At, ſi alvi ductione opus ſit, aliquid ex ſale communi, et oleo vel butyro, adjiciendum eſt. Clyſmata in regimine antiphlogiſtico omnino neceſſaria ſunt. Non ſolum ductionem facilem fœcum putrium vel induratarum efficiunt, ſed etiam in inteſtinis contenta, et exinde ſanguinem quoque, diluunt.

Si ſymptomata inflammationem indicantia, ut pulſus validus et plenus, turgiditas et rubor faciei, inflammatio faucium, delirium, &c. ante eruptionem quamplurimum urgent, ſanguinem mitti oportet. Symptomata enim levat, et eruptionem, ſi moratur ultra periodum ſuam, vel doloribus topicis violentis, vel calido regimine, febrem nimiam violentem citante, promovet. Si vero iſta ſymptomata, eruptione progrediente, aut etiam deſinente, non ceſſant, venaeſectio non omittenda eſt, et interdum quidem bis terve repetenda. Symptomata venaeſectionem poſtulantia ſaepius adultis atque juvenibus, magiſque in

tempore verno, raro pueris, rariſſime infantibus, incidunt.

Quum autem ſymptomata maxime periculoſa non inflammatorii generis ſunt, ut pulſus debilis et parvus, pallor facici, deliquium animi aegroto e lecto ſurgente, anxietas, nauſea, &c. emetica commodiſſime et tutiſſime, aut ante eruptionem, progreſſuve ejus, vel etiam poſt finem, adhibentur. Tartarum emeticum praeſtat, utpote ſecretiones fere omnes ciet, atque alvum fere ſemper facile ſubducit. Caſus vomitionem requirentes, ſaepius infantibus et pueris, quam aetate florentibus, occurrunt.

Licet infantium convulſiones ante eruptionem, morbo benigno, frequenter proveniant, et indicia fere fauſta habeantur, nihilominus quidem nonnunquam ferociſſimae fiunt, et aegrotum protinus e medio tollunt. Clyſmata et ſemicupium, in paroxyſmo adhibita, remedia et tuta et efficacia ſunt. Opiata, in caſibus gravioribus, per clyſmata adhibenda ſunt, atque cucurbitulae aut hirudines temporibus admovendae.

Dolores

Dolores pleuritici ſanguinis miſſionem poſtulant; et, ſi quid venaeſectionem prohibet, cucurbitulae vel hirudines parti dolenti applicandae ſunt. Eodemque tempore ſemicupium et clyſmata frequenter repetenda.

Adverſus dolores abdominis colicam mentientes, dyſuriam, et iſchuriam, ſemicupii et clyſmatum anodynorum uſus multum promittunt; amovere autem aegrotum e lecto, et pedes ſuper aliquid gelidum imponere, haud raro dyſuriam et eſchuriam ſummovet. At, ſi haec non ad iſchuriam valent, catheter utendus eſt.

Dejectiones cruentae clyſmatis et opiatis opportune levantur. Quorum uſu puellam quandam curationem recipere vidi.

Urina vero cruenta difficillime curatur. Nihilominus quidem, etiam in hoc ſtatu, acida, cortex Peruvianus, et opiata, non aliena videntur.

STADIUM II.

Opera danda eſt, in hoc ſtadio, ut febris compeſcatur, et ſuppuratio puſtularum rite promovetur, ope aëris frigidi, diluentium, balnei, clyſmatum, opiatorum, corticis Peruviani, et acidorum.

Omnino quidem neceſſe eſt, aegrotum in ſuo cubiculo aëre frigido puroque frui, atque aut lectum tenere, aut non, prout ſibi velit. Veruntamen, ut, progrediente ſuppuratione, efferretur ſub dio, vel etiam circumdaretur gelido vento a feneſtra aperta, uti quidam monuerunt, mihi quidem alienum et periculoſum eſſe videtur. Quoniam ex obſervationibus liquet, aërem gelidum cutem conſtringere, dolorem, inflammationemque puſtularum augere, et ſuppurationem cunctari. Effecta fauſta, quae ex eo in ſtadio primo morbi oriri conſuefcunt, in hunc errorem induxiſſe videntur.

Fovenda eſt cutis, ubicunque puſtulae numeroſae aut confluentes ſunt, aqua tepida,

et,

et, ſi aeger in balneum deſcendere nequeat, panniculo leniter admovenda eſt; et ubi febris admodum urget, haud raro repetenda. Praeter effecta ejus leniendae febris, inducendique ſomni, dolorem inflammationemque puſtularum levat, ac earum ſuppurationem promovet.

Clyſmata emollientia quotidie adminiſtrari debent, ut alvus rite ſubducatur, quo quidem, tametſi non opus eſt, non omittenda ſunt; utpote enim calorem, irritationem, febremque levant.

Opiata, propter eorum effectus anodynos, et ſoporificos, olim haud immerito concelebrata fuerunt. Enimvero quidem eorum virtutes in ſuppuratione promovenda, et in gangraena curanda, non niſi nuper agnitae fuerunt. Clariſſ. Syden. primus opii uſum in variola inſtituit; ſed de hac re multi hactenus non inter ſeſe conveniunt. Pro axiomate enim diu habebatur, opiata ſtimulare, ideoque inflammationibus omnibus aliena eſſe. Facta quidem theoriis receptis adverſantia aegre admittuntur.

Opiata,

Opiata, in hoc morbi ſtadio data, praeter eorum anodynos et ſoporificos effectus, febrem leniunt, ſuppurationemque puſtularum promovent. Neque unquam eorum effectus ſtimulantes, aut ſecretiones diminuentes, obſervare potui, quamvis quidem pluribus quam quinguaginta hoc morbo laborantibus, ſpatio paucorum menſium, ea adminiſtranda curavi. Quum morbus vehementior eſt, ab hujus ipſo ſtadii initio danda ſunt, donec puſtulae ſaneſcunt, et, bis die, mane ſcilicet et veſpere, ut effecta unius doſeos maneat, donec altera praebenda ſit.

Corticem eſſe idoneum, et progrediente et declinante morbo, nequaquam quidem inficias ibo; at mihi tamen multo minus efficax quam opium eſſe videtur. Praeterea pueris, et iis inflammatione faucium laborantibus, vix adhiberi poteſt. Veriſimile eſt quidem, quod opium et cortex commodius ſimul adhibeantur; quod vero experientia ſolum confirmari poteſt.

Acida, et mineralis et vegetabilis generis, haud immerito a multis commendantur; ſed

ſapor

ſapor eorum ingratus, praeſertim pueris, in idonea quantitate, ea adhiberi prohibet.

Inflammationem faucium difficultatemque deglutiendi levant, ſalivationemque promovent, injectiones in fauces per os et nares, os fovere aquae vapore, et eum reſpirare, cataplaſmata emollientia cum camphora et opio ad jugulum admota, et ſubinde mutata.

Pruritus intolerabilis aegrotum urgens ad cuticulam evellendam, ſaepe, praeſertim pueros, invadit, partes excoriatas gangraenoſas relinquens. Hoc ſumma ope caveri debet; utpote enim, poſt talia mala, ſymptomata ingraveſcere obſervavi, mortemque haud raro inſequi. Omnia ſtimulantia in hoc ſtatu pernicioſa ſunt. Non melius equidem notum eſt mihi remedium, quam fovere frequenter aqua tepida cum lacte; manus quoque cataplaſmatis cohibere debent.

STADIUM III.

Hic conandum eſt ſummis viribus obviam ire febri, intumeſcentiam extremitatum et ſanationem puſtularum promovere, diluentibus, balneo, clyſmatis, opiatis, epiſpaſticis, cataplaſmatis, venaeſectione, purgantibus, et cortice Peruviano.

Auctores quidam inciſionem puſtularum circa criſin propoſuerunt, quod mihi quidem non ſatis conſultum eſſe videtur. Periculum enim eſt, ne aër puſtulis admiſſus, eas inflammaret et exulceraret; unde ſaniei abſorptio et hectica oriri poſſunt. Praeterea, in caſibus periculoſiſſimis, puſtulae raro humore explentur.

Quae ſupra diximus de uſu aëris frigidi, balnei, clyſmatum, et opiatorum, in ſtadio praecedente, ad hoc aeque pertinent. Notandum tamen, aëris frigidi applicationem locis excoriatis multo magis, ultra criſin, quam, puſtulis ſuppurantibus, pernicioſam eſſe: Quoniam partes excoriatas exulcerat, horrorem concitat, febremque auget.

Totum

Totum corpus, praecipue partes excoriatae, ab aëre rite tegenda, et fovenda ſunt aqua tepida cum lacte, donec puſtulae ſaneſcunt. Semicupium circa criſin frequenter adhibendum eſt, ad febrem levandam intumeſcentiamque extremitatum promovendam. Alvum clyſmatis quotidie eluere oportet. Opiata bis die, mane et veſpere, non omittenda ſunt, donec febris deceſſerit, et puſtulae ſanationem receperint. Ex unius doſeos neglectu, lethum interdum incidere obſervavi.

Venaeſectio ab auctoribus quibuſdam multum collaudata fuit ad ſanguinem a colluvie putrida purgandum; haec vero ſententia nunc fere rejicitur. Nihilominus tamen, ſi ſymptomata inflammationis topicae, ut phrenitis aut peripneumonia, in ullo morbi ſtadio occurrunt, nequaquam negligenda eſt.

Epiſpaſtica, in variis morbi ſtadiis, ad faciendam revulſionem ad extremitates, multum commendantur. Res autem in dubio eſt, an magis in hoc morbo ſtimulent quam ſedent. Praeterea, ſi exulcerentur, ſaniei abſorptio et febricula hectica metuendae ſunt.

 Ob

Ob haſce rationes equidem cataplaſmata emollientia multum praeferimus; et, ſi ſtimulo opus ſit, cura ne exulcerent habita, ſinapi aliquid adjiciendum eſt. Haec manibus pedibuſque paulo ante criſin admovenda, et ſubinde mutata, donec deſinat febris, et tumeſcant extremitates, continuanda ſunt.

Purgantia multi circa criſin, facie areſcente, propoſuerunt; iis vero nequaquam aſſentior; quoniam purgantia, hoc tempore administrata, intumeſcentiae extremitatum obſtare, et diarrhoeam ciere opinor. Poſt intumeſcentiam extremitatum, et puſtulis ex magna parte areſcentibus, purgantia non aliena ſunt. Eorum vero poſt operationem opiatum dandum eſt, ne hypercatharſis ſuperveniat. Purgantia quidem et opiata ſimul apte adhibentur; operationem enim purgantium minime impediunt, atque torminibus et diarrhoeae, quae ſaepe ſuperveniunt, opportune occurrunt.

Partes excoriatae et exulceratae accurate ab aëre unguento emolliente contegi debent. Atque, ne exulceratio procedat, unguento

guento frequenter renovato, ſanies acris aqua tepida cum lacte eluenda eſt.

Hecticam ulceribus ortam diarrhoea dyſpnoeaque fere comitantur. Quod ad ejus curationem pertinet, cortici et opiatis potiſſimum confidendum eſt; num purgantia commode adhibeantur, neſcio. Attamen vero clyſmata adminiſtrari oportet, quia ad inteſtina, eorum contenta putrida et irritantia diluendo et evacuando, derivationem imminuunt; quoties vero dyſpnoea gravior ſit, ſanguis cucurbitulis vel hirudinibus, aut etiam ex brachio, mittendus eſt.

Ophthalmiae, quae ſaepe variolae ſupervenit, diu oculos a luce tuendo, donec hi vigorem recuperaverint, occurrere oportet. In ejus curatione, luce evitata, opiata et purgantia mercurialia adhibenda ſunt.

Apoſtemata et phlegmonae, poſt hunc morbum incidentes, more ſolito cataplaſmatis emollientibus rite tractari poſſunt.

DE

DE VARIOLÆ INSITIONE.

Quoniam variola omnium morborum latiſſime et inimiciſſime mortalibus graſſatur, et nunquam niſi ſemel per vitam quenquam infeſtat, atque, utpote quidem inſitione omnino benigna et innocua fit, omne conamen ad cognitionem hujus feliciſſimae artis publicandam, minime ingratum erit bonis.

Inocculatio per ſcalpellum methodus certior virus communicandi eſſe videtur: Minus quoque fere exulcerat. Virus recens, et id quod in ſcalpello per dies viginti conſervatum fuit, et id quoque quod ex puſtulis diei ſexti, ſeptimi, octavi, aut noni, exceptum, eandem vim habere obſervavi.

Quidam puncturas duas treſve in brachiis utriſque facere monuerunt, quo certiores forent vas aliquod abſorbens vulnerari. Hoc vero nequaquam fieri oportet, quia ulcus nimis grave concitare ſolet. Niſi in infantibus, qui minus apti ſunt ad virus

rus suscipiendum, punctura una in uno brachio solum facienda est.

Die secundo inoculationis punctura adeo sanatur, ut similis frustulo pili subnigri in cute haerente videatur.

Die tertio, per lentem conspecta substantia flava, puri siccato similis, circa puncturam adhaerens, videri potest.

Die quarto, substantia flava, oculis nudis conspicua, et rubedo flavescens, super puncturam apparent.

Die quinto rubedo magis conspicua, tumidula, tactui firma, saepeque pruriens; circa partem inflammatam, pustula interdum erumpit ; quod vero in unoquoque quarto vel quinto aegrotante observavi.

Die sexto, inflammatio, et tumor circumscriptus, parvam phlegmonen mentientes, cujus summum subalbidum quasi suppuratur. Dolor acutus, a tumore ad axillam tendens, qua bubones oriuntur. Aegrotus interdiu languore et lassitudine, vespere rigore et horrore, saepe afficitur ; atque nocte somnus interruptus, artuum et lumborum dolores,

res, calor auctus, sitis, et interdum capitis dolor, succedunt; ea autem mane plerumque evanescunt.

Die septimo, dolor et inflammatio tumoris augescunt, bubones quoque magis conspicuae, fere dolentes. Spatium albidum, in summo tumoris magis extensum, et humorem serosum fere exudans. Symptomata febrilia violentius, quam nocte antecedente, vespere redeunt.

Die octavo, tumor fere ulcus cavum fit, quod sanationem, non nisi post curationem pustulae, admittit. Paucae pustulae cum levamine symptomatum erumpunt. Nihilominus tamen iterum vespere vehementius quam antea recurrunt. Id, quantum licuit observare, perpetuum est, saltem in casibus omnibus, qui plusquam viginti pustulae habent.

Die nono, pluribus pustulis erumpentibus, symptomata levantur. Exacerbatio modica noctu rursus accidit; at, paucis pustulis plerumque novissime erumpentibus, penitus abit; die primo eruptionis paucae, secundo plures,

plures, tertio vero pustulae paucissimae, erumpunt.

Secundum systematis irritabilitatem, aut alias causas, inflammationis progressus accelerari aut retardari potest. Attamen symptomata semper in ordinem, quem posui, et ex magna parte, in diebus memoratis, occurrunt. In infantibus, pustulae non ante diem undecimum fere proveniunt; at in aliis eruptio plerumque die octavo incipit. Atque, quantum mihi notum est, puncturae suppuratio bubonesque semper paulo ante febrem videri possunt. Denique, punctura spatio sex dierum plerumque suppuratur, deinde bubones, et mox postea febris, subsequuntur, atque ex intervallo circiter quadraginta horarum eruptio incipit.

Ex his observationibus verisimile est, virus in punctura ortum, et in sanguinem absorptum, morbum efficere, et id quod insitione inditur, modo viri adinstar, suppurationem concitare.

Siquidem haec theoria pro certo habetur, quaestionibus responsa sequentibus facile sese offerent.

offerent. Quid caufae fit cur virus infitum per dies quinque aut fex iners in fanguine manet, vel tam lente in eum tranfit? Quomodo tam exigua pars viri, quam infitione inditur, talia effecta per totum fyftema concitare poffit? Quamobrem variolae febris infitae vehementior fit poft eruptionis initium, quoniam fpontaneae febris, morbo benigno, fimul atque eruptio incipit, maxime levatur, et in ejus progreffu femel aut bis parum cietur?

Si variola viro in punctura orto efficitur, qualitafne an quantitas ejus viri morbum variet? Gradum inflammationis proportionalem morbo fuiffe, plerumque me obfervaffe opinor. Indolefne viri infiti puncturae inflammationem afficiat? Poffintne cataplafmata aut alia applicata viri indolem mutare? An ex fanie in ulcere orta, et in fanguinem abforpta, apoftemata frequenter, declinante morbo, oriri videantur? Operane danda fit fuppurationem gravem cavere, et quam cito fieri poteft ulcus fanare?

"Se-